Florilegium Patristicum
tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

Bernhardus Geyer
S. Theologiae Doctor
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

Johannes Zellinger
S. Theologiae Doctor
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXXVI

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

S. Alberti Magni

Quaestiones de bono

(Summa de bono q. 1-10)

Nunc primum edidit prolegomenis
apparatu critico notis instruxit

Henricus Kühle
S. Theol. et Philos. Doctor
in Universitate Monasteriensi Docens

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXIII

Imprimatur Coloniae die 18. Aprilis 1933. Dr. David Vicarius generalis.

Maximiliano Meinertz sacrum

INDEX

PROLEGOMENA

I. S. Alberti Magni librum, qui ab ipso inscribitur „Summa de bono"[1], procul dubio magni pretii opus, genuinum esse S. Doctoris scriptum M. Grabmann invicte demonstravit[2]. Quem librum non esse tertiam „Summae de creaturis" partem, uti M. Grabmann censuit, sed magis partem constituere Summae theologicae cuiusdam prioris, P. G. Meersseman defendit[3]. Cuius „Summae de bono" quaestiones eae, quae metaphysicam de bono doctrinam continent (q. 1—10), nunc primum e codicibus eduntur.

II. Summam de bono post Commentarium in primum librum Sententiarum, Summam de quattuor coaequaevis (Summa de creaturis I), Summamque de homine (Summa de creaturis II) a S. Doctore scriptum esse ex variis argumentis colliges. Dicit enim S. Doctor q. 3 Summae de bono (*infra* p. 25 [16]): „Et haec distinctio (inter negative et privative infinitum) saepius supra habita est"; quae quidem distinctio expresse declaratur in I Sent. dist. 2 a. 2 (J. 14, p. 33 b), adhibetur insuper in De quattuor coaequaevis q. 3 a. 1 (J. 19, p. 18 a) et in De homine q. 81 a. 2 (J. 19, p. 355 a). Praeterea quod dicit q. 9 (p. 47 [5—6]): „Et quia de hoc (quod de quolibet contingit affirmare vel negare et quod semper contingit alteram contradictoriarum esse veram) plura, maxime De materia dicta sunt, ista sufficiant", alludere videtur, aliis locis praetermissis, ad commentarium in primum Sent. dist. 38 a. 2 (J. 14, p. 568), maxime autem ad locum quendam libri De quattuor coaequaevis q. 2 a. 3 (J. 19, p. 11), ubi expresse de hac re agitur. Eundem autem locum De quattuor coaequaevis q. 2 a. 3 („Utrum materia creata sit vel non?") respicere videtur eadem quaestione (p. 48 [22—28]), ubi legitur: „Quid autem dicendum sit de veritate negationum . . . secundum possibilitatem nostram invenitur in quaestione De materia in illo articulo, ubi quaeritur, utrum materia creata sit vel aeterna, et ibidem invenitur, qualiter veritas negativarum reducitur ad ens per affirmativas." De eadem re loquitur etiam q. 10 (p. 50 [7—8]), ubi verbis: „Sicut in quaestione De materia determinatum est" iterum eundem

---

[1] De hoc titulo infra plura notantur.

[2] M. Grabmann, Drei ungedruckte Teile der Summa de creaturis Alberts d. Gr. Aus den Handschriften nachgewiesen und gewürdigt, in: Quellen und Forschungen zur Geschichte des Dominikanerordens in Deutschland, 13. Heft, Leipzig 1919.

[3] P. G. Meersseman O. P., Introductio in opera omnia B. Alberti Magni O. P., Brugis 1931, p. 107.

locum in De quattuor coaequaevis respicere videtur. Quod vero paulo infra (p. 52 1—2) sequitur: „Veritas in negativis reducitur ad ens, sicut alibi determinatum est“, certe respicit in I Sent. dist. 46 a. 13 (J. 14, p. 667 b et 669 a), quia ibidem etiam nomina „chimaera, tragelaphus, phligax“ inveniuntur. — Summam de bono fuisse saltem partim perfectam ante compositionem dimidiae partis commentarii in secundum librum Sententiarum, probatur pluribus citationibus Summae in hoc libro, quas invenies a F. Pelster conscriptas[1] et quas omnes in manuscriptis codicibus verificatas vidimus. Quae omnia evincere videntur magnam partem Summae de bono Parisiis[2] circa annum 1246 conscriptam esse, cuius anni S. Doctor mentionem facit in II Sent. dist. 2 a. 9 (J. 15, p. 77 b). Leges insuper in III Sent. dist. 40 a. 4 (J. 15, 2, p. 419 b): „Hic autem qui vult, potest inducere longam quaestionem De legibus et iure naturali, quam disputavimus in tractatu de iustitia“ et in IV Sent. dist. 17 a. 9 (J. 16, p. 379 b): „Haec . . . dependent a quaestionibus, quas alibi de iustitia disputavimus“, quae quaestiones sub finem Summae de bono tractatae inveniuntur. Quia autem in commentario in IV Sent. dist. 35 a. 7 (J. 16, p. 719 b) in mentionem venit annus 1249, S. Magister eo anno librum ipsum conscripsisse quidem, sed nondum ad lucem tulisse videtur. Inde Summae de bono textum ad annum 1249 confectum esse elucet.

III. Codices manuscripti, qui Summae de bono textum continent, decem, qui praeter tres a M. Grabmann l. c. enumerantur, recensentur[3]. Codices autem, quibus in paranda hac editione usi sumus, sunt sequentes:

Ab 1. Cod. Ms. lat. qu. 586 Bibliothecae Reipublicae, Berolini (= Ab); membr. saec. XIII; ff. 417; 16,5 × 22 cm; 2 col. Qui codex, quamvis plures inprimisque M. Grabmann eum iam noverint, in catalogis impressis non continetur. Codex diligenter scriptus praebet S. Alberti libros De quattuor coaequaevis (fol. $1—117^{R}$), De homine (fol. 117^{V} —309^{R}; additur f. 310^{R} [ab alia manu?] tabula virtutum), Summamque de bono (fol. 311^{R} „Incipit tractatus fratris Alberti de uirtutibus cardinalibus“ — fol. 412^{Va} „constituentes species determinatas“). Additur statim ab alia manu eiusdem saec. XIII scriptus S. Thomae tractatus De ente et essentia. Codex ligneo ligamento tectus praebet in

[1] F. Pelster, Kritische Studien zum Leben und zu den Schriften Alberts d. Gr., Freiburg Brsg. 1920, p. 120.

[2] Cf. ibidem p. 115; cf. H. Chr. Scheeben, Albert d. Gr., Zur Chronologie seines Lebens, in: Quellen und Forschungen z. Gesch. d. Dominikanerordens in Deutschl., 27. H., Vechta 1931, p. 17, 19.

[3] Praeter codices, quos infra descriptos invenies, a G. Haenel in libro suo „Catalogi librorum manuscriptorum qui in bibliothecis Galliae, Helvetiae, Belgii, Britanniae M., Hispaniae, Lusitaniae asservantur“, Lipsiae 1830, p. 813 sub n. 574 codex refertur, de quo nihil certi hucusque comperire potuimus. (Cf. M. Grabmann, l. c. p. 69).

interiore parte ligamenti has notas: „precium ducatis 28" a manu saec. XIV, et „Summa Alberti magni de creacione et de anima et de uirtutibus libros tress" a manu saec. XV. Inscriptio, quae fol. 1 habetur: „Incipit Summa Alberti de creacione" caeruleis rubrisque alternatim coloratis litteris exarata est, initialis vero, quae sequitur „Q", caeruleo colore et auro depicta est. Inscriptiones non omnibus et singulis quaestionibus additae sunt; quot vero inveniuntur inscriptiones, rubro colore scriptae sunt; quaestionum vero litterae initiantes delineamentis caerulei rubrique coloris ornatae sunt. Fol. 310 ^{V} leges notam „20 octerni", et fol. 414^{V} videbis manum, ut certe videtur, XIII saeculi aliquas annotationes stilo notavisse, quibus extinctis textus De ente et essentia suprascriptus est [1]. Fol. 117 ^{R} invenies notam stilo scriptam, de qua haec vix legi possunt:

„hic perfeci XXII pecias . . .
et debentur mihi X . . . (acce-)
pi a fratre soprano XI . . . (de-)
bentur mihi adhuc XXXVII . . .
frater etiam nicholaus hungarus . . .
denas IIII scrib . . . (perfi-)
ciendis . . ."

Cum ex eo, quod in hoc codice de „peciis" sermo est, recte colligatur, textum inter puriores numerandum esse [2], in constituendo textu editionis nostrae sine dubio primum locum tenet. „Peciae", cum folia in ligando decisa sint, in margine praeter duas (fol. 5 ^{R} et 61 ^{R})non amplius apparent. Codicem in Italia vel saltem a scriptore italico esse scriptum duobus argumentis insinuatur [3], quorum primum ex scribendi modo, qui codicem in Italia oriundum esse annuit, alterum vero sumitur ex monetae nomine „ducatus", quae moneta saec. XII primo a Rogerio Siciliae rege, deinde a Dandalo Venetiarum Duce cudebatur [4].

2. Cod. n. 621 Bibliothecae publicae, St. Audomari (St. Omer) in Gallia (= Ao); membr. saec. XIII exeuntis vel forte saec. XIV ineun- Ao

---

[1] Codicem saec. XIII scriptum esse inter alios putat etiam F. Pelster, qui nuper apud nos codicem vidit.

[2] J. Destrez, La „pecia" dans les manuscrits du moyen âge, in: Revue des sciences philosophiques et théologiques 33 (1924) 182—198; Idem in: Bulletin Thomiste 6 (1929) [507]—[514]. S. Thomae opp. omn., Ed. Leonina, Praefatio ad tom. XII (Ad Suppl. p. IX—XI), ad tom. XIII (p. XXVII—XXX), ad tom. XIV (p. XXVII). — Cf. M. Grabmann, Die Stuttgarter Handschrift des ungedruckten Ethikkommentars Alberts d. Gr., in: Aus Ethik und Leben, Festschrift für J. Mausbach, Münster i. W., 1931, p. 62.

[3] Codicem in Italia sciptum esse etiam F. Pelster opinatur. Cui opinioni favent litterae a J. Rosenthal (Monachii) nobis missae, quibus se codicem in Italia emisse et anno 1901 Bibliothecae Berolinensi vendidisse annuntiavit.

[4] De hac moneta italica cf. F. Frhr. v. Schrötter, Wörterbuch der Münzkunde, Berlin und Leipzig 1930, pp. 164, 378.

tis; ff. 106; 18 × 25 cm; 2 col.; ex libraria Abbatiae S. Bertini in confinibus S. Audomari [1], ubi fortasse scriptus est [2]. Praebet textum Summae de bono fol. 1—69.

Qui textus codici Berolinensi proxime affinis et cum eo unius eiusdemque familiae est, sed habet plures omissiones, quae saepissime posteriore tempore a duabus saltem manibus in margine suppletae sunt. — Ubi ambo codices eundem textum variantem exhibent, in apparatu critico invenies signum „A".

Bp 3. Cod. n. 40 Bibliothecae Universitatis, Parisiis (= Bp); membr. et a dimidio cart. saec. XV, uti ex scribendi modo colliges; ff. 288; 41 × 28 cm; 2 col.; ex bibliotheca collegii Parisiensis quod vocatur „Des Cholets" [3]. Praebet textum Summae de bono fol. 1—69 et continet insuper librum de perfectione vitae, articulos Parisius condemnatos, Summamque de creaturis. Attendas autem lectiones ipsi soli proprias: fol. 3^{Ra} „secuntur" loco sequuntur, „fondatur" loco fundatur, fol. 3^{Va} „relincuntur" et „rotondus".

Textus cod. Bp non longe distat a textu A, sed propter maiorem distantiam ab archetypo inveniuntur plures errores.

Bb 4. Cod. Ms. n. 603 Bibliothecae Regiae, Bruxellis; membr. saec. XIV (fol. 93 legis annum 1416); ff. 94; 30,7 × 22,5 cm; 2 col.; in fine codicis legitur: „est liber sancti Martini lovaniensis." Praebet textum Summae fol. 1—93, et fol. 93—94 tabulam quaestionum Summae [4]. Ex scribendi forma recte inferes codicem in Belgio vel in Gallia septentrionali scriptum esse.

Cuius codicis textus cum textu codicis Bp valde consonat et cum illo uni et eidem familiae adscribendus est. Differunt tamen singulis lectionibus variantibus vel omissionibus. Vides insuper hic et nunc mendas posteriore tempore correctas. Ubi utriusque codicis lectiones con-
B cordant, in apparatu critico adhibetur signum „B".

5. In eadem bibliotheca asservatur alius codex sub n. 77—78 [5], qui ex codice Bb originem duxit, quare in hac editione negligitur. Fol. 264 huius codicis leges scriptum: „Iste liber pertinet domui capelle

---

[1] Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques des départements III, Paris 1861, p. 273.

[2] Sic censuit Prof. Dr. H. Degering, quondam sectionis cod. ms. Bibliothecae Berolinensis director.

[3] Catalogue général des manuscrits des bibliothèques publiques de France. Université de Paris et Universités des Départements. Paris 1918, p. 11 sq., ubi codicem scriptum esse saec. XIV exeunte notatur. Cf. M. Grabmann, Mittelalterliches Geistesleben, München 1926, p. 90 not. 30. — Collegium quod vocatur „Des Cholets" a fundatore Joanne cardinale Choleti, apostolicae sedis in Francia legato, nomen duxit. Cf. Denifle-Chatelain, Chartularium Universitatis Parisiensis, Tom. II, Parisiis 1891, pp. 3, 34, 37, 295.

[4] J. van den Gheyn S. J., Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque Royale de Belgique III, Bruxelles 1903, p. 61 sq.

[5] J. van den Gheyn S. J., l. c. p. 65.

beate Marie prope angiam (= Edinghen in provincia Brabantia) ordinis carthusiensis, quem contulit frater Henricus de Loë [1], monachus professus eiusdem domus. Oretur pro eo propter Deum."

6. Cod. lat. n. 18 127 Bibliothecae Nationalis, Parisiis; membr. saec. XIII exeuntis; ff. 355; 25,3 × 17,5 cm; 2 col.; ex bibliotheca conventus S. Jacobi, Parisiis; continens Summam de quattuor coaequaevis (fol. 5^{Ra}—112^{Rb}), Summam de homine (fol. 113^{Ra}—254^{Vb}), Summamque de bono (fol. 255^{Ra}—342^{Ra}). Qui codex anonymus ideoque adhuc ignotus et ipsis his diebus Parisiis verificatus [2] praebet textum B et sic ad editionem nostram typis iam mandatam nihil novi afferre valet.

7. Cod. Class. IV n. 10 Bibliothecae Marcianae, Venetiis (= V); V
membr. saec. XV ante medium; ff. 268; 20 × 27 cm; 2 col., qui fuit in bibliotheca Bessarionis Cardinalis, a quo Marcianae Bibliothecae deditus est [3]; eleganter exaratus et fol. 1 insignibus Bessarionis ornatus est. Textum Summae de bono praebent folia 1—158.

Qui textus non longe distans a textu B influxum Humanistarum non negat et plurimis in locis mendis et omissionibus corruptus est. Quia vero in rubrica titulos singularum quaestionum saepissime exhibet, in editione paranda illo usi sumus.

8. Cod. Ms. n. 283 Bibliothecae Collegii Mertoniensis (= M), Oxonii; M
membr. saec. XIV ineuntis (?); ff. 147; 30,5 × 23 cm; 2 col. Inde a fol. 109^{R} invenies textum Summae de bono [4]. Ex forma scribendi

---

[1] Henricus de Loë, ad quem codex refertur, forsitan idem est cum „Henrico" quodam „de Loe" in matricula Universitatis Coloniensis anni 1404/05 nominato. Cf. H. Keussen, Die Matrikel der Universität Köln, I Bonn 1928, p. 119. Certo certius idem est cum „Heinrico de Loe Leod. dioc." matriculae Universitatis Lovaniensis anni 1426, de quo Editor matricularum Univ. Lov. E. Reusens, Matricule de l'Université de Louvain, I Bruxelles 1903, notat: „Unus ex primis Lovanii promotis ad licentiam in artibus, et a 7a octobris 1428 admissus ad regentiam in facultate artium, docuit in paedagogio Porcensi, quod ipse fundaverat, usque ad 19 Julii 1441, quando religionem Carthusianam amplexus est. Analectes pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique, XX, pp. 193 sqq., Documents relatifs à l'histoire de l'Université de Louvain, IV, pp. 77 sqq., De Ram, Hagiographie nationale II, pp. 100—106." In actibus Univ. Lov. (sess. gen. 31 maii 1432) „Henricus de Loen" inducitur inter „intrantes" tamquam „in artibus magister". Cf. E. Reusens, Actes ou Procès-Verbaux de Séances, tenues par le Conseil de l'Université de Louvain, I Bruxelles 1903, p. 28.

[2] Codicem invenit Dr. H. Ostlender die 20 martii 1933 et statim de eo eiusque proprietatibus benigne certiorem me fecit.

[3] J. Valentinelli, Biblioteca manuscripta ad S. Marci Venetiarum, II Venetiis 1869, p. 80 sq. — Cf. H. Omont, Inventaire des manuscrits grecs et latins à Saint-Marc de Venise par le Cardinal Bessarion (1468), in: Revue des bibliothèques 4 (1894) 173. — M. Grabmann, Drei ungedruckte Teile etc. p. 46 sqq. — L. Mohler, Kardinal Bessarion als Theologe, Humanist und Staatsmann, I Paderborn 1923, pp. 408, 411, 413.

[4] H. O. Coxe, Catalogus codicum mss, qui in collegiis aulisque Oxoniensibus hodie adservantur, I Oxonii 1852, p. 112.

apparet codicem in Britannia esse confectum. Abbreviationum in scribendo usus, qui in hoc codice invenitur, singularis et difficilis, codicem M magis saec. XIV medio quam saec. XIV ineunti attribuendum esse suadet.

Textus codicis, quamvis quodammodo affinis sit textibus codicum antea recensitorum, tamen praebet aliam quandam traditionem. Variationes codici M soli convenientes hic et nunc inveniuntur in apparatu.

IV. Codices, quos praeter codicem Bruxellensem et Parisiensem, de quibus supra dictum est, quidem legimus, sed in hac editione reliquimus, pluribus mendis scatiunt ideoque ad textum statuendum parum vel nihil referunt; sunt vero sequentes:

1. Cod. G. B. f^{0} 79 Archivi Civitatis, Coloniae; cart. saec. XV ineuntis; ff. 269; 21 × 29 cm; 2 col. Praebet textum Summae a fol. 2^{R} —192^{R} (quod fol. 192 dupliciter numeratum est) et tabulam quaestionum a fol. 192^{V}—194^{V}. Fol. 1 invenies tres inscriptiones variae aetatis, quarum secunda nuntiat codicem tribus marcis [1] comparatum esse, quarum tertia annotat: „Et pertinet fratribus Ste Crucis in Colonia. Anno dñi M^{0}CCCCXCII" et sequitur signum bibliothecae: „A XLIII". Quae ultima inscriptio aetate valde distat a prima.

2. Cod. n. 24 Bibliothecae Archidioecesanae, Coloniae; cart. saec. XV ineuntis (in dorso legis annum 1415); ff. 185; 21 × 29 cm; 2 col. Codex solum Summam de bono continet cum tabula quaestionum (a fol. 183^{R}—185^{V}).

Qui codices sunt unius eiusdemque familiae, sed immediate ab invicem non dependent. Quamvis affines cod. M sint, tamen multis in locis textum corruptum exhibent.

V. Quod titulum huius S. Doctoris operis attinet, observandum est, nomen „Summae de bono" in codicibus expresse non inveniri, quamvis codd. Ao, B, M et textus Coloniensis ad hunc titulum alludere videantur. Merito igitur ex ipsis S. Doctoris verbis in II parte Summae theologiae q. 102 m. 2 (J. 18, p. 477 b) lis de titulo dirimitur: „De his (divisionibus bonorum) iam dudum facta est s u m m a, quae intitulatur d e b o n o . . . quae multum divulgata est et communiter habetur."

VI. Divisio operis sive tituli quaestionum varie in codd. Ab, M, V traduntur, in aliis codicibus desiderantur. Quo ex codice tituli sumpti sint, ex apparatu cognosces.

VII. Pro fundamento editionis [2] textus codicis Ab positus est, cum quo ceteri codd. conferuntur. Enumeratio quaestionum, quam in margine codicis Ab invenies, servatur etiam in textu editionis nostrae, in

---

[1] De hac moneta („kölnische Mark") vide F. Frhr. v. Schrötter, Wörterbuch der Münzkunde, Leipzig 1930, p. 371.

[2] Cf. O. S t ä h l i n, Editionstechnik [2], Leipzig und Berlin 1914.

apparatu vero negligitur. Quod pertinet ad lectiones variantes, quas praebet apparatus, illae, quae ad codicum affinitatem vel distantiam illustrandas nihil faciunt vel minoris sunt valoris, neglectae sunt. Quod vero pertinet ad omissiones, quas invenies in codice Ao posteriore tempore in margine suppletas, non nisi in quaestione prima ad illustrandam textus proprietatem notantur, sed in quaestionibus sequentibus relinquuntur. Lectiones variantes solum codici V convenientes et influxum Humanistarum manifestantes non omnes, sed tantum aliquae graviores adducuntur. Brevitatis causa in apparatu iusuper lectio „ad illud“ (loco „ad id“), quae saepissime in cod. M occurrit, omittitur, quamvis aliquantulum ad codicum vel affinitatem vel distantiam referre videatur.

Ad verificandos locos ex Aristotelis operibus desumptos praeter editionem Academiae Berolinensis translationem sic dictam „antiquam“ attulimus, cuius textus secundum editionem Commentariorum S. Thomae Aqu., Venetiis anno 1594 impressam, quae editio facilius habetur, vel secundum editionem operum Aristotelis ibidem anno 1483 typis mandatam referimus. Pro locis autem ex ipsis S. Doctoris operibus sumptis usi sumus editione P. Jammy, Lugduni 1651 (= J.), quia praebet textum puriorem editione A. Borgnet, Parisiis 1890 sqq. Notandum autem est enumerationem quaestionum rectius inveniri in indice tractatuum, quaestionum, articulorum quam in ipso textu.

Textum ipsum numeris (I, . . . 1, . . .) et litteris (A, . . . a, . . .) distinximus, ut appareret, quae in eo, quod „quaeritur“, et in eo, quod „obicitur“, in singulis quaestionibus correspondeant.

VIII. Quae ulterius ad S. Doctoris opus a nobis editum spectant, sive quoad formam sive quoad rem, invenies in libro nostro, qui sub praelo est: „Studien zur Lehre Alberts des Großen vom Guten und vom höchsten Gut.“

IX. Auctorum tam veterum quam recentiorum scripta vel libros, quibus in adornanda hac editione usi sumus, diligenter notata invenies vel in indice abbreviationum vel in notis sive prolegomenis sive textui additis.

Omnibus et singulis, qui curam operamque in hoc libello parando mihi contulerunt: Editori Florilegii huius Professori Dr. B. Geyer, Professoribus Dr. A. Struker, Dr. F. Pelster S. J., Dr. H. Degering, Fr. Candido M. Wiedemann O. P., insuper et bibliothecarum ante nominatarum praesidibus maximas referre liceat gratias. Viro autem illi, cuius nomini hunc libellum sacrum feci, magistro quondam, deinde fautori meo eximio, S. Alberti Magni „Quaestionum de bono“ editio haec signum gratitudinis meae esto perpetuae.

Monasterii Guestf., die festo S. Joannis Damasc. (27 mart.) 1933.

H. Kühle.

ABBREVIATIONES

Sigla codicum prolegomenis in margine addita sunt

Bardenhewer	=	O. Bardenhewer, Die pseudo-aristotelische Schrift Über das reine Gute, bekannt unter dem Namen Liber des causis. Freiburg 1882.
Friedlein	=	Anicii Manlii Torquati Severini Boetii De institutione Arithmetica libri duo, De institutione musica libri quinque. Accedit Geometria quae fertur Boetii. E libris manu scriptis edidit Godofredus Friedlein. Lipsiae 1867.
Peiper	=	Anicii Manlii Severini Boetii Philosophiae consolationis libri quinque. Accedunt eiusdem atque incertorum Opuscula sacra. Recensuit Rudolfus Peiper. Lipsiae 1871.
CSEL	=	Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum editum consilio et impensis academiae litterarum Caesareae Vindobonensis, Vindobonae 1866 sqq.
J.	=	Alberti M. opera omnia, edidit Petrus Jammy, Lugduni 1651.
PG	=	Patrologiae cursus completus, Ser. I: Ecclesia Graeca. Parisiis 1857—1866.
PL	=	Patrologiae cursus completus, Ser. II: Ecclesia Latina. Parisiis 1844—1864.
al. m.	=	alia manus.
h. q.	=	haec quaestio etc.
n.	=	numerus.

Libri vel scripta de Summa de bono tractantia sive ad illius doctrinam spectantia

M. Grabmann, Drei ungedruckte Teile der Summa de creaturis Alberts des Großen. Aus den Handschriften nachgewiesen und gewürdigt, in: Quellen und Forschungen zur Geschichte des Dominikanerordens in Deutschland, 13. Heft, Leipzig 1919.

M. Grabmann, Das Naturrecht in der Scholastik von Gratian bis Thomas von Aquin, in: Mittelalterliches Geistesleben, München 1925, p. 65—103.

H. Kühle, Die Lehre Alberts des Großen von den Transzendentalien, in: Philosophia perennis, Festgabe Joseph Geyser zum 60. Geburtstag, I Regensburg 1930, p. 129—147.

H. Kühle, Die Entfaltung des Gottesbegriffes zum Begriffe des höchsten Gutes nach Albert dem Großen. Unter Benutzung handschriftlicher Quellen. I. D. Münster 1931.

P. G. Meersseman, O. P., Introductio in omnia opera B. Alberti, Magni O. P., Brugis 1931.

F. Pelster, Kritische Studien zum Leben und zu den Schriften Alberts des Großen, Freiburg i. Br. 1920.

I. DE BONO SECUNDUM COMMUNEM INTENTIONEM BONI

f. 311Ra Quaestio est de bono secundum communem intentionem boni, et quaeruntur quinque. Quorum primum est, quid sit; secundum de communitate intentionis boni; tertium de comparatione sui ad ens; quartum de comparatione ad verum; quintum de divisione et partibus boni.

Quaestio 1

Quid sit bonum

Ad primum proceditur sic: Dicit enim Aristoteles in principio Ii Ethicae[1]: ‚Optime autem annuntiant bonum, quod omnia appetunt.' Avicenna autem dicit in Metaphysica sua[2], quod bonum est indivisio actus a potentia. Algazel autem in fine suae Metaphysicae[3] dicit, quod bonum est actus, cuius apprehensio est cum delectatione.

I. Prima diffinitio sic probatur: Omne quod est ad finem aliquem, secundum rationem prius est in ordine ad finem quam in coniunctione ad ipsum. Omne creatum est ordinatum ad finem, ergo prius est in ordine suo quam in coniunctione ad finem. Inde sic: Omne quod est ordinatum ad finem, est in appetitu finis illius. Sed omne creatum est ordinatum ad finem, ergo omne creatum est in appetitu finis. Finis autem est bonum, ergo omne creatum est in appetitu boni: ergo bonum est, quod omnia exoptant. Si forte diceretur, quod non omne creatum est ad finem, hoc nihil est. Ab operibus enim creatis

1—2 *om. AB, add. M* Quid sit bonum 9 *om. omn. praeter V* 11 ethicorum *BVM* 18 creatum] causatum *Bp? M* 19 suo] illo *BVM* 20 causatum *Bp? M* 21 ergo . . . app. finis *Ao ab al. m. in marg.* causatum *Bp? M* 22 causatum *Bp? M* 23 non *add. int. lin. Bp* 24 causatum *Bp? M* causatis *M*

[1] Eth. Nic. lib. 1 cap. 1. 1094 a 2; cf. Comm. S. Thom. Aqu. [Venetiis 1594] in libr. 1 lect. 1.

[2] Cf. Metaph. tr. 4 cap. 3 [Venetiis 1495 fol. 18R]; cf. Alex. Hal. Sum. theol. I [Ad Claras Aquas 1924] n. 88 Resp., p. 140 a: ‚bonum dicitur indivisio actus a potentia', et ibidem notam 5, ubi invenies ex Phil. Grevii Summa de bono hunc locum: ‚Item, alia [definitio boni] extrahitur ab Aristotele et aliis philosophis: Bonum est habens indivisionem actus a potentia simpliciter vel quodam modo.'

[3] Cf. Logica et philosophia Algazelis Arabis, lib. 1 [Coloniae 1506 fol. 44Ra]: ‚Bonum vero est perfectio, cuius apprehensio est delectacio.'

et naturae removetur vanum[1]. Vanum autem est, quod privatum est fine.

Item: Omne quod factum est, secundum rationem prius est in fieri quam in factum esse. Omne autem quod est in fieri, secundum quod huiusmodi est in potentia: ergo omne quod factum est, secundum rationem prius est in potentia quam in actu. Sed omne quod est in potentia, est in appetitu actus, prout actus est finis potentiae. Cum ergo secundum hanc intentionem actus cadat in ratione boni, omnia quae sunt, erunt in appetitu boni, et sic iterum bonum est, quod omnia exoptant.

Item: Dionysius in IV^{0} capitulo De divinis nominibus[2] de daemonibus dicit sic: ‚Bonum et optimum daemones concupiscunt esse et vivere et intelligere.' Sed daemones maxime corrupti sunt: ergo multo magis non corrupta vel minus corrupta concupiscunt bonum et optimum, et sic redit idem quod prius.

II. Secunda sic probatur: Omne perfectum secundum quod huiusmodi est completum per finem. Omne bonum est bonum secundum rationem finis: ergo omne bonum secundum quod huiusmodi est perfectum. Prima probatur per hoc, quod non est res perfecta, antequam cesset operatio efficientis. Haec autem non cessat, nisi quando attingit finem. Secunda patet per se. / Inde sic: Omne per- f. 311^{Rb} fectum perfectionem habet ab actu coniuncto cum potentia. Bonum autem in eo quod bonum, est perfectum; ergo bonum in eo quod bonum, est coniunctio actus cum potentia: ergo indivisio actus a potentia per consequens. Et haec ratio trahitur ab illo verbo Deuteronomii 32 (3. 4): ‚Date magnificentiam Deo nostro. Dei perfecta sunt opera.'

Item: Omne quod actu est, bonum est: ergo idem erit actu esse et bonum esse. Probatur prima per hoc, quod ab actu et forma est omne esse. Ante formam enim est res in potentia tantum, et quod potentia est, non est nisi secundum quid. Secunda probatur per hoc, quod dicit Aristoteles in fine I^{i} Physicorum[3], quod

1 vanum. Vanum] vacuum. bonum *V* 3 omne *om. Ao* 5—6 ergo . . . in potentia *Ao ab al. m. in marg.* 7 in pot.] imposita *Ao* 12 de daemon. *om. MV* 20 operatio] racio *M* haec] hoc *Ab* 22 coniuncto] tracto *A* 23—24 est perf. . . . bonum *Ao ab al. m. in marg.* 24 ergo est *BVM* 24—25 indivisio . . . potentia *Ao ab al. m. in marg.* 26 XXII *AB* 28 item omne quod est actu est omne quod est actu bonum est ergo *BVM, sed mut.* omne quod *(2^{0} loco) in* sed inquantum *Bp* esse actu *BpM* esse in actu *Bb* 30 in *om. BpM* 31 probatur] *add. Ab* sic

[1] Cf. Aristot., De caelo et mundo lib. 1 cap. 4. 271 a 33: *‚ὁ δὲ θεὸς καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιοῦσιν';* cf. Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 1 lect. 8.

[2] De div. nom. cap. 4 § 23. PG 3, 725. Transl. Jo. Scoti Er. PL 122, 1143.

[3] Cf. Phys. lib. 1 cap. 9. 192 a 22; cf. Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 1 lect. 15.

materia desiderat formam sicut turpe bonum, et sic idem est per formam esse et per bonum esse. Inde sic: Actu esse est per indivisionem actus a potentia. Bonum esse est actu esse: ergo bonum est indivisio actus a potentia.

III. Tertia probatur sic: Dicit Aristoteles[1], quod opus naturae est opus intelligentiae, intendens per hoc, quod sicut intelligentia in opere suo sibi praefigit finem, ita natura ad praestitutum sibi finem secundum rationem omnia opera sua dirigit. Inde sic: Delectatio est ex coniunctione convenientis cum convenienti. Nihil enim est adeo conveniens ut finis, ‚cuius gratia' omnia fiunt, ut dicit Philosophus[2]: ergo ex apprehensione finis semper surgit delectatio. Sed bonum determinatur secundum rationem finis et actus: ergo bonum est actus, cuius apprehensio est cum delectatione.

A. Sed contra praedictas diffinitiones sic obicitur: Cuius non est vis optativa vel desiderativa, illud nihil exoptat vel desiderat. Omne inanimatum tale est: ergo nullum inanimatum aliquid exoptat et desiderat, et sic non erit bonum, quod omnia exoptant vel desiderant.

Praeterea: Si bonum est, quod omnia appetunt, et bonum est aliquid de omnibus: bonum est, quod appetit bonum: ergo idem appetit seipsum, quod est inconveniens. Item illud bonum appetit aliud bonum et illud aliud, et sic in infinitum.

Item: Ubicumque est aliquid quod appetitur, ibi erit et aliquid appetens. Et haec duo diversa sunt et diversas habent intentiones. Si ergo ratio boni est, quod appetitur, ratio appetentis non erit ratio boni, et sic appetens non erit bonum. Quod est contra Boëthium[3] et Augustinum[4], qui dicunt, quod omnia quae sunt, inquantum sunt, bona sunt.

Item: Si bonum est, quod omnia appetunt, hoc bonum aut erit unum aut erit multa. Non unum, quia nihil unum est, quod omnia exoptant. Si autem multa, tunc illa multa aut sunt in ratione una aut in rationibus diversis. Si primo modo, tunc illa ratio aut erit ratio speciei vel generis, quod patet falsum esse. Ea enim quae sunt, nec ad unam speciem nec ad unum genus possunt reduci. Si vero est in rationibus di-

---

7 in operatione sua *BVM* prestitum *M* prestitam *V* 11 Philos.] Aristoteles *M* semper surgit] supersurgit *B* 12 determinatum *A* 14—15 uis non est *Ab* 15 ergo illud *Ab*, ergo *del. Ao* 16 et] vel *BVM* 20 appeteret *BVM* 22 et aliquid *A*] etiam aliqu. *cet.* 23 intentiones *A*] raciones *cet.* ergo *M in marg.* 29 exoptent *M* 33 est *om. BVM*

---

[1] Cf. Phys. lib. 8 cap. 1. 252 a 11 sqq; Metaph. lib. 11 (K) cap. 8. 1065 a 26; De caelo et mundo lib. 2 cap. 8. 290 a 30; ibidem lib. 2 cap. 11. 291 b 13 sq.

[2] Aristot., Phys. lib. 2 cap. 8. 199 a 31; Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 2 lect. 13.

[3] Lib. de hebdom. PL 64, 1311 sq. Ed. R. Peiper, p. 170.

[4] De div. quaest. 83 q. 24. PL 40, 17; cf. De doctr. christ. lib. 1 cap. 32. PL 34, 32; De nat. boni cap. 1. PL 42, 551. CSEL XXV, 2. 856, 15.

versis, / tunc et appetitus et appetens, quae sunt respectu illius, erunt in rationibus diversis, et sic male data est assignatio boni, cum dicitur: ,Bonum est, quod omnia exoptant'[1]. Si propter hoc dicatur, quod re vera bonum, quod omnia optant, est unum et ipsum est summum bonum: Contra: Appetitus iste, qui ponitur in assignatione boni, aut potest perfici aut non. Si non, tunc erit aliquid frustra aut irrationaliter. Si vero potest perfici, cum non omnia possunt consequi summum bonum, appetitus non erit summi boni. f. 311[Va]

Praeterea: Quidam obiciunt sic: Nos videmus quosdam scienter mala agere, sicut dicit Philosophus in VII° Physicorum[2], quod habentes rationem quandoque operantur e contrario. Cum ergo appetant hoc quod agunt, videntur appetere malum, et sic non omnia quae sunt, bonum optant.

B. Contra secundam diffinitionem sic obicitur: Indivisio sonat in privationem. Privatio autem non est notificans aliquid: ergo non debet poni in diffinitione boni.

Praeterea: Omne quod actum habet indivisum a potentia, est compositum ex potentia et actu. Non omnia quae sunt, composita sunt ex potentia et actu: ergo non omnia quae sunt, bona sunt, quod est contra hoc quod est in Genesi 1, (4): ,Vidit Deus etc.' Prima probatur per suppositionem diffinitionis, secunda patet per se, quia multa sunt, quae sunt simplicia. Similiter quae composita sunt, non necessario composita sunt ex potentia et actu.

Item: Potentia non habet indivisionem actus a potentia. Similiter actus non habet indivisionem actus a potentia: ergo nec potentia per se nec actus per se habent rationem boni.

Praeterea: Illae duae diffinitiones videntur sibi repugnare. Quod enim actum indivisum habet a potentia, hoc non amplius appetit actum, eo quod iam satisfactum est appetitui eius. Quod autem optat bonum, hoc non habet actum coniunctum sibi, et ita bonum non est indivisio actus a potentia secundum secundam diffinitionem et divisio actus a potentia secundum primam.

1 appetitus *mut. al. m. in* appetitum *M* quae sunt *om. M* 4 optant] exoptant *V* appetunt siue optant *Bb* appetunt *M* unum] bonum *V* 6 aliquid] aut *Bb*, *om. M* irracionabile *Bp* irracionabiliter *Bb* irracionale *MV* 7 cum] tunc *M* tamen *Ao* 8 summi b.] summum bonum *Ab* et ita app. non erit summum bonum *Ao ab al. m. in marg.* 9—10 male scienter *Bb* 13 optant] appetunt *MV* 14—15 impriuacioni *Ao* 16 bonum *Ab*, *corr. Ao in* boni 17 praeterea] *add. M* quod 20 gen. V *Ab*, V *del. Ao in textu et corr. al. m. in marg.* 5 24—25 Similiter . . . a potentia *om. AbM* 25 indivisionem] racionem *Ao* 27 sibi *om. M* 28 hoc non] sed non *A* 30 hoc non] sec. racionem *V* non est] non *om. BVM* 31—32 a potentia . . . primam] sec. suam diff. et div. actus a pot. sec. potenciam *Ab*, sec. secundam . . . div. actus *Ao ab al. m. in marg.* a pot. sec. potenciam *in textu* sec. secundam . . . a potentia *om. V*

[1] Vide p. 10 not. 1. [2] Cf. Aristot., Phys. lib. 7 cap. 3. 247 b 14.

C. Contra tertiam obicitur sic: Delectatio non est nisi in agnoscente conveniens. Non omnia quae bonum optant, cognoscunt conveniens: ergo non est generale de omnibus, quod bonum sit, cuius apprehensio est cum delectatione [1]. Prima probatur per hoc, quod dicit Aristoteles in VII° Ethicorum [2], quod ,Omnis delectatio est generatio in animam sensibilem.' Secunda patet per se.

Item quaeritur, quare bonum determinatur per actum. Nihil enim per idem determinatur cum suo opposito, nisi sit genus vel materia: ergo bonum per nihil debet determinari, quod convenit malo, nisi sit genus vel materia. Actus autem convenit bono et malo: ergo non debet poni in diffinitione boni, nisi sit sicut genus vel materia. Non autem materia, quia materia nunquam est actus. Praeterea: Materia supponitur per potentiam, cum dicitur, quod bonum est indivisio actus a potentia [3]. Si vero poneretur ut genus, tunc oporteret, quod aliae partes diffinitionis contraherent ipsum, quod falsum patet esse in secunda diffinitione. Ibi enim non ponitur nisi indivisio a potentia,
f. 311 Vb quorum neutrum / contrahit ad bonum. Si propter hoc dicatur, quod malum non est actus, hoc erit contra Avicennam in Prima philosophia [4] dicentem, quod malum est in potentia et malum in actu, et est quidem a potentia mali nemo malus, sed a malo in actu. Hoc etiam esset contra Aristotelem in IX° Primae philosophiae [5], ubi dicit, quod actus mali peior est quam potentia mali; et quod malum in actu est post potentiam, bonum autem in actu est ante potentiam. Et de hoc infra [6] erit quaestio.

D. Praeterea obiciunt quidam, quod bonum non est diffinibile. Quidquid enim diffinitur, diffinitur per ea quae secundum rationem sunt diversa ab ipso. Dicit enim Aristoteles [7], quod partes diffinitionis sunt in plus quam diffinitum, sed totum in aequum. Sed quidquid ponitur in diffinitione boni, convertitur cum bono eo quod omnia quae sunt, inquantum sunt, bona sunt: ergo bonum non est diffinibile per aliquid.

4—5 Aristot.] Alexander *A* 5 *VII*] VIII *AM* 9 *B* 4 *V* 6 generatio] *add.* passionis *M in marg.* 7 quaer. consequenter *Bp* determ.] non determ. *M* 8 opposito] *corr. ex* supposito *Bp M* supposito *BbV* 10 genus vel mat.] generalis materia *V* 11 sicut genus *A*] ut genus *B* uel g. *MV* 12 est materia *BV* est autem *M* non autem mat. *Ao ab al. m. in marg.* 17 contrahit] *add. BVM* ipsum 20 nemo] nec *A* 21 esset] erit *BVM* 26 diffinitur *(2° loco) M in marg.* 28 in aequum] in equo *BV*

---

[1] Vide p. 10 not. 3.

[2] Eth. Nic. lib. 7 cap. 12. 1152 b 13: ,πᾶσα ἡδονὴ γένεσίς ἐστιν εἰς φύσιν αἰσθητή'; cf. Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 7 lect. 11.

[3] Vide p. 10 not. 2.

[4] Cf. Metaph. tr. 4 cap. 3 fol. 18 Ra.

[5] Cf. Metaph. lib 9 (Θ) cap. 9. 1051 a 18.

[6] Vide infra q. 6.

[7] Cf. Anal. Post. lib. 2 cap. 13. 96 a 32.

Item: Omnis diffinitio datur per respectum ad aliquam causam, sicut diffinitiones logicae formales sunt, et physicae dantur per respectum ad materiam. Ipsarum autem causarum primarum non est diffinitio, sicut primae formae et primae materiae: ergo nec ultimi finis. Quod autem est optatum ab omnibus, hoc est finis ultimus omnium et hoc est bonum: ergo bonum est intentio finis ultimi: ergo bonum non potest diffiniri per causam finalem. Si propter hoc dicatur, quod potest diffiniri per efficientem vel formam vel materiam: Contra: Finis est ratio efficientis. Movet enim materiam propter finem. Similiter ratio est transmutationis materiae et inductionis formae: ergo finis est ratio omnium aliarum causarum. Nihil autem diffinitur per id, cuius est ratio: ergo bonum, quod est intentio finis, non habet diffiniri per efficientem vel formam vel materiam.

Item: Hoc videtur per ipsam diffinitionem, quod bonum est, quod omnia appetunt. Accidentale enim est appetibili, quod appetatur. Nihil autem habet diffiniri per id, quod accidentale est ei.

E. Praeterea: Quaeritur, penes quid accipiatur diversitas assignationum boni supra inductarum.

Solutio: Dicendum, quod diffinitiones boni supra inductae bene probatae sunt et rationes probantes tangunt naturam boni, quam respiciunt diffinitiones.

a. Ad id ergo quod obicitur contra primam diffinitionem, dicendum, quod est appetitus perfectus et ille est cum apprehensione; et est appetitus naturalis, qui nihil aliud est, quam aptitudo et inclinatio eius, quod est in potentia, ad perfectionem; et ille est in omnibus, et de hoc intelligitur quod dicitur, quod bonum est, quod omnia appetunt, sicut dicit Philosophus in fine I^i Physicorum[1], quod materia appetit formam sicut femina masculum et turpe bonum.

Ad aliud dicendum, quod in veritate nihil appetit seipsum. Sed tamen omne quod est citra primum, est imperfectum respectu primi, et perfectio ipsius non est nisi secundum influxum a primo. Unde / sicut f. 312^{Ra} dicimus de intelligentiis, quod ipsarum ‚fixio et essentia est per bonitatem puram, quae est causa prima', ut habetur in Libro de causis[2], ita possumus dicere de bono creato, quod ipsius fixio et per-

2 per resp.] per comparacionem *M* 3 ipsarum] ipsa tamen *del. Ao in textu et corr.* ipsarum *in marg.* primarum *om. Ab* 4 primae, primae *om. A* 5 opt. est *Ab* 11 nihil] nec *Bb* 16 ei] *add. M* igitur 17—18 assign.] diffinicionum assignati *Bb* 20 nat.] raciones naturam *Bp* rac. et nat. *Bb* 22 ergo *om. M* opponitur *V* 26 appet.] suppetunt *B* 28 fem. masc.] mulier uirum *V* masc.] mas *B* 29—30 sed tamen] sed cum *Bb* 30 citra] contra *Ab*, contra *del. al. m. in textu et corr. in marg.* citra *Ao* est imperf. resp. primi *Ao ab al. m. in marg.* 31 sec. infl.] influxus *V* 33 puram] primam *A* 34 creato] causato *M*

[1] Vide p. 11 not. 6.

[2] Lib. de causis § 8. Ed. O. Bardenhewer, p. 172: ‚Omnis intelligentiae fixio et essentia eius est per bonitatem puram quae est causa prima.'

manentia non est nisi per bonitatem primam et creatam, et illius influxionis possumus ponere appetitum in bono creato. Sed tunc erit ibi status, quia illa fixio influxa non erit appetens aliquid aliud ultra.

Ad aliud dicendum, quod licet appetens inquantum appetens non habeat rationem boni et perfecti, non tamen absolvitur a ratione boni, immo secundum Boëthium De hebdomadibus[1] ipsum est bonum ex ordine et inclinatione ad bonum.

Ad aliud dicendum, quod illud bonum, quod omnia exoptant, non est reducibile ad speciem unam vel ad genus unum, sed ad communitatem proportionalitatis, ut fiat vis et distinctio inter proportionem et proportionalitatem. Proportio enim, sicut dicit Boëthius in II° Arithmeticae[2], attenditur in quantitate secundum diversam habitudinem unius quantitatis relatae ad aliam quantitatem. Proportionaliter autem attenditur ulterius in quantitate rerum proportionatarum, et sic dicimus, quod una proportionalitas et commensuratio omnium possibilium ad finem perficientem, et omnis finis in hac proportionalitate est unius, et similiter appetitus, qui est in ipsum.

Ad ultimum dicendum, quod malum in ratione mali, ut dicit Dionysius[3], est ‚praeter appetitum et praeter voluntatem et praeter causam', et ideo, qui scienter operatur contra rationem, licet faciat id quod est malum, tamen appetit ipsum in ratione boni ut nunc.

b. Ad id quod obicitur contra secundam, dicendum, quod in IV° Primae philosophiae Avicennae[4] secundo capitulo inveniuntur ista verba, quod ‚Bonum in omni re non est nisi ipsam esse in effectu', et ‚Quod est in effectu, inquantum est, sic est bonum'. In Metaphysica autem Aristotelis in IX° libro[5] inveniuntur ista verba: ‚Necesse est, ut alterum contrariorum sit bonum, potentia vero similiter aut neutrum: ergo actus est melior; et necesse etiam in rebus malis, ut actus et complementum sit peius potentia'. Et ex illis duobus locis volunt quidam hanc trahere diffinitionem, quod bonum est indivisio actus a potentia. Potentia enim

1 primam] puram *MV*, puram *mut. al. m. in* primam *Bb* creatam] *ante* cr. *add. al. m. int. lin.* in *B*, causatam *AbM* 2 creato] causato *AbM* 4 inquantum app. *om. B* 5 et perf. . . . boni *om. Ab* et *om. BVM* 6 in libro de hebd. *V* 10 proporcionis *V* ut *om. Ab, Ao ab al. m. in marg.* 11 proportionalit.] proporcionem *V* 13—14 proporcionalitas *BVM* 15 una] *add. BVM* est 16 possib.] proporcionum *V* 16 omnis fin.] omnium finis *BVM* 17 proporcione *V* unus *BVM* 25 et . . . effectu *om. Bp* 29 necesse] *add.* est *BVM* 30 ex illis] ex istis *M* in istis *BV*

[1] Cf. Lib. de hebdom. PL 64, 1313. Ed. R. Peiper, p. 172.
[2] Cf. De Arithm. lib. 2 cap. 40. PL 63, 1145. Ed. G. Friedlein, p. 137.
[3] De div. nom. cap. 4 § 32. PG 3, 732. Transl. Jo. Sarac. in: Dionys. Carth. opp. omn. [Tornaci 1902] tom. 16, p. 374.
[4] Metaph. tract. 4 cap. 2 fol. 18 Ra.
[5] Metaph. lib. 9 (Θ) cap. 9. 1051 a 13 sq.; cf. Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 9 lect. 10.

per se nec bona nec mala est, sed per privationem est mala et per actum est bona; et propter hoc dicit, quod est similiter aut neutrum. Et in Physicis[1] dicit, quod ‚non est per se turpe, sed per accidens‘, hoc est per privationem. Actus autem simpliciter est bonus, sicut habetur in fine I^{i} Physicae[2]: ‚Existente quodam divino et optimo appetibili aliud quidem ipsi contrarium dicimus‘, scilicet privationem. Ex hoc enim patet, quod actus est simpliciter bonum, potentia autem secundum quid. Perfectum vero bonum est completum per actum, et propter hoc illa diffinitio data est de bono perfecto.

Ad id autem / quod obicitur de indivisione, dicendum, quod licet f. 312^{Rb} privatio posterius sit quam habitus, tamen ut frequenter simplicior est. Quaedam enim idem habent potentiam et actum sicut in divinis; et similiter ea in quibus potentia nunquam praecessit actum, habent etiam actum indivisum a potentia, non tamen habent coniunctum. In coniunctione enim necessarium est coniungens, quod est diversum a potentia et actu, et hoc accipitur a verbo Avicennae ibidem[3] sic: ‚Sola potentia non sufficit ad hoc, ut sit effectus, sed eget aliquo, per quod trahatur potentia ad effectum‘. Cum ergo indivisio conveniat omnibus, coniunctio autem non omnibus, patet, quod melius diffinitur per indivisionem quam per coniunctionem. De rebus autem illis, in quibus potentia est idem cum actu, bonum verbum est in IX^{0} Metaphysicae Aristotelis[4], ubi dicit sic: ‚In rebus, quae sunt aeternae, non est aliquod malum omnino neque error est neque corruptio est. Corruptio enim de rebus malis est.‘

Ad aliud dicendum, quod si large sumatur potentia, omne creatum est ex potentia et actu. Omne enim esse creatum concretum est habitudinibus et nihil creatum est omnino simplex, et propter hoc ipsum non est bonitas pura, sed in potentia est ad influxum bonitatis primae. Et per hoc patet solutio etiam ad sequens. Quicumque enim actus

---

2 dicitur *M* 3 dicitur *M* quod] *add. al. m. int. lin.* potencia *Bp* turpis *BVM* 5 i^{e} phi^{e} *Ab*, prime philosophie *Ao* existente *add. A* contra 7 bonus *V* 8 vero] non *A* nec *V* 9 est de b. perf.] a Boecio est perfecta *V* 10 de indivisione *om. V* 11 posterior *V* 12 Quaedam] que *BbVM* 13—14 hab. etiam act. indiv.] in divinis *in textu* enim actus est indivisus *ab al. m. in marg. Bb*, habent actum indivisum a *Bp ab al. m. super rasuram* 14 indivisum] in divinis *V* 15 divers.] diuisum *M* 16 et hoc] hoc *om. et add. int. lin. ab al. m.* ut *M* 21 quinto *A* 22 Arist. *om. M* 26 creatum] causatum *Ab* concr.] concreatum *BpV* cumcreatum *Bb* 27 creat.] causatum *Ab* 28 pura] potencie *V* 28—29 primae] potencie *A*

---

[1] Aristot., Phys. lib. 1 cap. 9. 192 a 24; Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 1 lect. 15.

[2] Aristot., Phys. lib. 1 cap. 9. 192 a 16; Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 1 lect. 15.

[3] Metaph. tract. 4 cap. 2 fol. 18 ^{Ra}.

[4] Metaph. lib. 9 (Θ) cap. 9. 1051 a. 19; cf. Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 9 lect. 10.

demonstratur in natura, non absolvitur ab huiusmodi potentia, ut supra[1] dictum est de appetitu; et similiter potentia, secundum quod est inclinata ad actum, non est omnino divisa ab actu, sed indivisa quodammodo. Dico autem essentiam concretam habitudinibus, quando essentia non habet esse simplex omnino, sicut patet in ipsa forma, quaecumque accipiatur, quae facit esse creatum, quae unam habet habitudinem dependentiae ad efficientem extra se, sine qua non est, et aliam habitudinem habet ad id, in quo est, extra quod iterum non habet esse, et sic est de omnibus aliis. Unde patet, quod omnis rei creatae esse est concretum habitudinibus et non est purum. Propter quod probat Avicenna in IV° Metaphysicae suae[2], quod nihil est necesse nisi id, quod est per se, et nihil per se est nisi id, quod est omnino simplex, et nihil est omnino simplex nisi id, quod habet nullam causam, respectu cuius sit possibile. Propter hoc dicunt Sancti[3] nostri, quod esse proprium est Deo, hoc intelligentes de esse puro; et in III° Exodi (14. 15): ‚Qui est misit me ad vos. — Hoc nomen mihi est in aeternum', et ‚Ego sum, qui sum'; et probatum est a philosophis unum solum esse necessarium, quod nullo modo est possibile.

Ad aliud dicendum, quod diffinitiones illae non repugnant. Iam enim patet ex dictis, quod id quod appetit bonum et actum, non est omnino diversum a bono.

c. Ad id quod obicitur contra tertiam dicendum, quod sicut appetitus sumitur pro appetitu naturali in diffinitione boni, sic etiam delectatio consequens sumitur pro delectatione naturali. Quod autem dicit Philosophus in Ethicis[4], intelligitur de delectatione, quae facit passionem in omnia sensibilia secundum actum corporalem. Sicut autem delectatio triplex est, sicut dicit Aristoteles in VII° Physicae[5], scilicet in memoria praeteriti et in sensu
f. 312Va praesentis et spe futuri, ita delectatio / naturalis triplex est. Delectatio enim, quae est existentis in potentia, secundum quod huiusmodi, est quasi delectatio spei, eius autem, quod perfectum est, quasi delectatio

2 simil.] simpliciter *A* 2—3 potentia ... ab actu *om. V* 4 concreatam *BbV* habitudinis *A* 9 unde] donis *A* 10 concreatum *Bb* 12—14 quod est per se ... simpl. nisi id *om. Ab* 15 puro] potencie *A* potencia (?) *Bb* potencia *V* 17 et probatum] ut prob. *Ab* 20 predictis *V* 21 diuisum *Bp MV* 23 sicut *A* 26 omn. sens.] anima sensibili *BVM* 28 in sensu] in *om. BVM*

[1] Vide supra resp. a, p. 15.
[2] Cf. Metaph. tract. 1 lib. 2 cap. 2 fol. 5 Ra.
[3] Cf. Hilar. Pict., De trinit. lib. 1 n. 5. lib. 7 n. 11. lib. 12 n. 24. PL 10, 28. 208. 447; Ambros., De trin. cap. 7. PL 17, 516; Hieron., Ad Eph. lib. 2 cap. 3. PL 26, 488; Augustin., Epist. 118 cap. 3, 15. PL 33, 439; Cassiod., Expos. in Ps. 39. PL 70, 645; Gregor. Magn., Moral. lib. 15 cap. 37. PL 75, 1143.
[4] Vide p. 14 not. 2.
[5] Cf. Phys. lib. 7 cap. 3. 247 a.

memoriae, eius autem, quod attingit actum, est quasi delectatio praesentis in sensu.

Ad aliud dicendum, quod actus dicitur duobus modis, scilicet operatio et complementum. Secundum autem quod actus dicitur operatio, sic malum dicitur actus. Secundum vero quod actus dicitur complementum, malum non potest dici actus, quia nihil complet, sed corrumpit. Complementum autem dicitur duobus modis, scilicet a forma et a fine. Sed complementum a forma non habet rationem perfecti. Complementum vero a fine habet rationem perfecti, sicut dicit Avicenna in ultimo capitulo IV[i] Metaphysicae[1], quod ‚res est perfecta, in quantum nihil remanet extra eam'. Finis autem est ultimum, quo habito nihil est extra, et idcirco habitus finis adicit rationem perfectionis; et sic debet intelligi actus pro tali complemento, quando ponitur in diffinitione boni.

d. Ad id autem quod obicitur, quod bonum non sit diffinibile, dicendum, quod non habet diffinitionem completissimam, sed tamen potest habere assignationes. Licet enim convertatur cum ente secundum supposita, tamen intentio entis est ante intentionem boni, ut infra patebit.

Ad aliud dicendum, quod non diffinitur per finem, sed per posterius, scilicet per ea, quae sunt ad finem.

Ad aliud dicendum, quod bonum per se movet appetitum, propter hoc quod dicit Philosophus [2], quod est ‚divinum et optimum et appetibile' et ideo substantiale est ei appeti secundum aptitudinem, licet non secundum actum.

e. Ad ultimum dicendum, quod prima diffinitio boni datur per id, quod est a fine; secunda vero datur de bono perfecto; tertia vero datur de proprio effectu consequente bonum.

---

1 iam attingit *BVM* 4—5 operat. sic . . . act. dicitur *om. BV* 8—9 et a fine sed compl. a forma *Ao in marg.* 9 sicut] sec. quod *BVM* 10 ult. uel. 4° Met. *V* 15 non *om. ABM, sed int. lin. add. al. m. Bp* 20—21 *om. V* 23 hoc *om. BVM* 27 ad finem *BVM* datur *om. V* vero *(2°) om. M*

---

[1] Tract. 4 cap. 3 fol. 18Rb.

[2] Vide p. 17 not. 2.

II. DE COMMUNITATE INTENTIONIS BONI

Secundo quaeritur de communitate intentionis boni, et quaeruntur quattuor. Quorum primum est, utrum omne bonum sit bonum bonitate una simplici, quae est summum bonum; secundum, utrum summum bonum sit finitum vel infinitum; tertium, utrum bonum secundum communem aliquam rationem dicatur de bono increato et creato; quartum, utrum bonum secundum praedicationem abstractam reflectatur super seipsum, ut dicatur bonitas esse bona.

Quaestio 2

Utrum omne bonum sit bonum bonitate una simplici, quae est summum bonum

I. Ad primum proceditur sic: Dicit Augustinus in IX^{0} De trinitate III^{0} capitulo[1]: ‚Non amas certe nisi bonum, quia bona est terra altitudine montium et temperamento collium et planitie camporum. Bona est facies dimensa pariliter et affecta hilariter et luculenter colorata. Bonus est animus amici consentionis dulcedine et amoris fide. Bona est locutio suaviter docens et congruenter movens
f. 312^{Vb} audientem. Bonum carmen et canorum / numeris et sententiis grave. Et quid plura et plura? Bonum est hoc et bonum est illud: tolle hoc et illud et vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed bonum omnis boni‘. Ex hoc sequitur, quod Deus est bonitas omnis boni, et sic omne bonum dicitur bonum a bonitate prima.

Item: Augustinus ibidem[2]: ‚Cum audis bonum hoc et bonum illud, quae possunt alias dici etiam non bona, si potueris sine illis, quae participatione boni bona sunt, perspicere ipsum bonum, cuius parti-

1—2 *om. BV*, utrum omne bonum sit bonitate una simplici que est summum bonum *add. M* 6 vel infin. *om. B* 7 creato et *add. int. lin. al. m. B* 7—8 quarto *A* 8 bonum *om. M* 9 esse] est *BVM* 11—12 *om. omn. codd., de M vide supra* 16 dimensa] diuersa *V* 17 est] *om. Ao* enim *Ab* consentionis] conseminationis *A* conscientificationis *Bb* 18 monens *V* 19 bonum] *add.* est *BVM* numeris] neruis *A* numerus *V* 20 uel plura *A* est, est *om. BVM* 22 consequitur *Ao* accipitur *BVM* 23 a bonit.] a *om. BVM* 25 potueris] pocius *MV* 26—1 perspicere — bona sunt *M in marg.*

[1] De trinit. lib. 8 cap. 3 n. 4. PL 42, 949.
[2] Ibidem n. 5. PL 42, 950.

cipatione bona sunt, simul autem et ipsum intelligis, cum audis hoc et illud bonum. Si ergo potueris illis detractis perspicere bonum, perspexisti Deum.' Ex ista auctoritate tria accipiuntur, quorum primum est, quod omnia bona participatione primae bonitatis sunt bona; secundum est, quod primum bonum intelligitur in omni bono; tertium est, quod primum bonum contrahitur ad differentias speciales in bono hoc et illo, a quibus iterum, si resolvatur, remanebit primum bonum. Ex quibus habetur propositum, scilicet quod omne bonum est bonum bonitate prima. Hoc etiam probatur per rationem sic: Omne quod est, in eo quod est, bonum est. Sed omne quod est, in eo quod est, essentialiter est: ergo omne quod est, essentialiter bonum est. Inde sic: Omne quod est, essentialiter bonum est: ergo omne quod est, idem habet esse quod bonum esse, et sic omne quod est, substantialiter bonum est. Sed nihil est, cui idem sit esse quod bonum esse, ut dicunt Augustinus[1] et Boëthius[2], nisi primum: ergo omne quod bonum est, est bonum primum.

Item: Dionysius in IV^{0} capitulo De divinis nominibus[3]: ,Magis autem existentia omnia in tantum erunt magis et minus, in quantum bono participant.' Hoc autem non potest esse, nisi bonum esse sit idem quod esse. Et cum hoc non sit nisi in primo, videtur, quod omne bonum sit bonum bonitate prima. Hoc expresse videtur dicere Dionysius in eodem capitulo aliquantulum ante[4], ubi sic dicit: ,Per universa vadens perfecta bonitas, non usque ad solas, quae circa ipsam sunt, proficiscitur sanctissimas substantias, sed extenditur usque ad ultimas: his quidem totaliter praesens, illis autem subiecte, aliis autem extreme, sicut unumquodque existentium ipsa participare potest.' Ex hoc iterum habetur, quod prima bonitas est in omnibus bonis, et omne bonum est bonum bonitate prima.

A. Sed contra: Tota essentia creaturae creata est: ergo quidquid essentialiter est in ipsa, creatum erit. Sed bonitas eius essentialiter est in ipsa: ergo bonitas eius est creata.

---

1 autem] enim *BVM* 2 ill. detr.] sine illis *A* 3 tria acc. quorum] acc. tria de communitate intencionis boni quorum *V* 5 intelligitur] *add.* esse *A*, omne *Bp* 6 primum bonum] bonum *om. Ab* 11 omne *om. M* quod est] *add.* id est habet esse *V* 14 quod bonum] et bonum *MV* dicunt] uult *M* 17 divinis *om. Bp* 18 in tantum] in terra *V* magis] maius *A* 20 sit esse idem *AB* 21 sit bonum de primo *M in textu et corr. al. m.* sit bonitate prima 24 ipsum *A* 30—31 essentialiter est *(2°)* .... bonitas eius *om. Ab*

---

[1] De trinit. lib. 8 cap. 3 n. 5. PL 42, 950; De div. quaest. 83 q. 24. PL 40, 17; cf. De nat. boni cap. 19. PL 42, 557. CSEL XXV. 2, 863; cf. De civ. Dei lib. 12 cap. 1. PL 41, 349. CSEL XXXX, 567.

[2] Lib. de hebdom. PL 64, 1311 sq. Ed. R. Peiper, p. 170.

[3] De div. nom. cap. 4 § 20. PG 3, 70. Transl. Jo. Sarac. in: Dionys. Carth. opp. omn. [Tornaci 1902] tom. 16, p. 370.

[4] Ibidem cap. 4 § 20. PG 3, 717. Transl. Jo. Sarac. l. c. p. 369.

Item: Augustinus[1] distinguit bonum commutabile et bonum incommutabile. Nihil autem commutabile est increatum: ergo bonum commutabile non est bonum bonitate prima. / f. 313Ra

Solutio: Dicendum, quod formaliter loquendo nullum bonum creatum est bonum bonitate prima. Si vero loquamur exemplariter et effective, tunc omne bonum est bonum bonitate prima. Omne enim bonum creatum est effectus primae bonitatis, in quo relucet prima bonitas, sicut exemplar in exemplo. Quod autem quaedam bona exemplar hoc nobilioribus differentiis participant, sicut intellectu deiformi, et quaedam minus nobilioribus, sicut intellectu inquisitivo per speculum et aenigma, quaedam vero obscure, non cognoscentia ipsum summum bonum, propter hoc dicit Dionysius[2], quod prima bonitas quibusdam totaliter praesens est et quibusdam subiecte et quibusdam extreme.

1. Ad auctoritatem autem Augustini[3] dicendum, quod ipse docet ibi de bonis creatis venire in bonum increatum, sicut ex contemplatione exempli venitur in exemplar, quod a beato Dionysio[4] paradigma vocatur; et quod dicit: tolle hoc et illud, non intelligit tantum resolutionem contrahentium formarum in simplicius, quod contrahitur, sicut fit resolutio individuorum ad speciem per remotionem a materia, et sicut fit resolutio specierum ad genus per remotionem differentiarum, sed etiam intellexit resolutionem creati in causam, non quae essentialiter est in creato sic, ut sit esse creati, sed quae est in creato, sicut in quo relucet, et similis esset resolutio, si resolveretur figura cerae impressa in figura sigilli; similior autem adhuc, si resolveretur forma domus, quae est in lateribus et lignis et lapidibus, in rationem domus, quae est in mente conditoris. Primum enim bonum relucet in ratione boni creati, et ratio boni creati contrahitur ad hoc et illud per differentias et materiam. Quod autem haec sit intentio Augustini, probatur ex verbis, quae ibidem[5] dicit sic: ‚Quaerendum est bonum animae, non cui supervolitet iudicando, sed cui in-

5 loquantur *B*, loquatur *M* 8 quod] *add. M in marg.* uel quia 8—9 exemplar] *? Ab*, exemplum *AoBpV* 10 nobilibus *V* 16 de] ex *BVM* 20 remotionem] resolucionem *A* 21 sicut fit] si qua fit *B* si qua sit *M* 22 intelligit *BVM* creati] causati *AbB* 23 sic *om. A* sit] fit Ab creato, creati] causato, causati *Bp?, Bb* 24 creato] causato *Bp?, Bb* 28 in rat. b. cr.] in racione bonitatis *V* creati contrahitur] creacius trahitur *A*, *corr. autem Ao in marg.* 31 supervolitet *V*] superuolet *M* superuoluit *AB* iudicando] quod indicando *Ab*, quod iudicando *Ao*

[1] De trinit. lib. 8 cap. 3 n. 5. PL 42, 950; cf. De nat. boni cap. 1. PL 42, 551. CSEL XXV. 2, 855; cf. De civ. Dei lib. 11 cap. 10. PL 41, 325. CSEL XXXX, 525; cf. ibidem lib. 12 cap. 1. PL 41, 349. CSEL XXXX, 567.

[2] De div. nom. cap. 4 § 20. PG 3, 717 Transl. Jo. Sarac. l. c. p. 369.

[3] De trinit. lib. 8 cap. 3 n. 4. PL 42, 949.

[4] De div. nom. cap. 5 § 8. PG 3, 824. Transl. Jo. Scoti Er. PL 122, 1150.

[5] De trinit. l. c.

haereat amando: et quid hoc est nisi Deus? Non bonus animus vel bonus angelus aut bonum caelum, sed bonum bonum. Sic enim facilius fortassis advertitur, quid velim dicere'. Ex his verbis Augustini patet, quod intendit omne bonum esse bonum bonitate prima. Bonum enim, cui iudicando supervolitat anima, est ratio boni creati in angelo et caelo et quocumque alio bono, secundum quod in ipso relucet bonum increatum et ad quod per eminentiam est ascendere a bono creato.

Ad aliud dicendum, quod primum bonum relucet in bonis creatis. Unde bonum creatum dupliciter potest considerari, scilicet in se, et sic non proprie/consideratur, vel prout est exemplum primae bonitatis, [f. 313Rb] et sic semper relucet in eo prima bonitas, et sic proprie consideratur. Sicut etiam imago improprie consideratur, quando accipitur absolute; quando autem respicitur ut ducens in aliud, tunc proprie consideratur. Quod autem dicit Augustinus[1] de participatione, non intelligitur, quod bonum creatum partem capiat primae bonitatis, quia ipsa non habet partem et partem, sed quod secundum rationem particularem — hoc est particularis boni — habetur in exemplo.

a. Ad aliud dicendum, quod, cum dicitur: omne quod est, in eo quod est, bonum est[2], non sic intelligitur, quod idem sit esse quod bonum esse, sed quod bonum sit consequens ad esse[3], et sic patet, quod illa obiectio procedit ex falsis.

Ad auctoritatem autem Dionysii[4] patet solutio per antedicta.

Quaestio 3

Utrum summum bonum sit finitum vel infinitum

I. Sequitur secundum et quaeritur, utrum summum bonum sit finitum vel infinitum. Videtur autem, quod infinitum. Omne enim quod finitum est, clauditur mensura; summum bonum non clauditur mensura: ergo summum bonum non est finitum. Prima probatur per hoc, quod quidquid est finitum aliquotiens sumptum in partibus constituit totum, et hoc est mensurari. Secunda probatur per dictum Damas-

1 vel] aut *BM* ut *V* 2 bonum bonum *M in textu et add. in marg.* uel summum 4 esse bonum *om. B* 5 iudicando] indicator *A* 6 secund.] scil. *Ab* 7 ad quod *Bp*] aliud quod *ABb* aliud per quod *V* ad illud quod *M et corr. in textu posit. 132* 10—12 vel prout . . . proprie consideratur *om. M* 13 respicitur ut ducens] resp. ut dicens *A* accipitur ut ducens *M* 14 Quod autem] quod ante *Ab* 17 partic. scil. boni habiti in exemplo *V* 20 ad esse] *add.* ens *M* ens̄ *B* entis causas *V* (entis *text. Colon.*) 21 obiectio] racio *M* 25 *om. omn. praeter AbM,* summum *om. M* 26 sequ. . . . quaer.] secundo queritur *BVM*

[1] Vide h. q., p. 20 not 2.
[2] Vide p. 12, not. 4; cf. p. 21, not. 1 et 2.
[3] Cf. q. 7 solut., p. 37.
[4] Vide h. q. p. 21, not. 3 et 4.

ceni[1], qui dicit, quod Deus nec loco nec tempore nec intellectu claudi potest. Et per dictum Anselmi in Monologio[2], qui dicit, quod Deus est maius, quam excogitari possit. Item dicitur in Symbolo Athanasii[3]: ,Immensus pater etc.' Ergo bonitas Dei, cum sit aequalis Deo, etiam erit immensa.

A. Sed contra: ,Quidquid est infinitum, eius partes accipienti semper est aliquid accipere extra', ut dicit Aristoteles in III° Physicorum[4]. Omne autem tale imperfectum est, ergo omne infinitum est imperfectum. Si ergo primum bonum est infinitum, ipsum erit imperfectum, quod est haeresis.

Praeterea: Probatum est supra[5], quod omnis perfectio est a fine: ergo quod caret fine, caret perfectione. Sed primum bonum perfectissimum est: ergo non tantum est finitum, sed finitissimum.

II. Iuxta hoc etiam quaeritur, utrum primum bonum sit simplex, et videtur quod non. Cum enim dicitur summum bonum vel finitum bonum vel infinitum, aut aliquid additur super rationem boni aut nihil. Si nihil, tunc idem esset esse bonum quod summum bonum, et cum multa sint bona, multa essent secundum hoc summe bona. Si vero aliquid additur, tunc ipsum erit compositum.

III. Praeterea: Quaeritur iterum iuxta hoc, utrum plura possint esse summe bona, et videtur quod non. Quod enim per superabundantiam dicitur, uni soli convenit. Summum bonum dicitur per superabundantiam: ergo convenit uni soli.

Praeterea: Summum bonum non deficit in aliquo bono. Si ergo plura essent summe bona: aut unum haberet quidquid haberet alterum, et
f. 313aV sic essent illa / duo unum et non duo; aut non haberet, et sic utrumque deficeret in aliquo bono et non esset summum bonum. Et hoc est argu-

2 qui *om. A* 2—3 in monologio . . . possit *om. V* 4 Athan.] Anastasii *AV* 5 etiam *om. A* 11 est a fine] fit a f. *M* 17 esse] omne *BV. om. M* quod summe bonum *M* 24 deficiet *M* in *om. A* 24—25 essent plura *Ab* 26 et non] et *om. BVM* 27 summe b. *M*

[1] De fide orthod. lib. 1 cap. 13. PG 94, 853. Cf. transl. Burgundionis Pisani, cod. lat. monac. 3718 fol. 11Vb: ,circumscriptibile quidem est, quod loco uel tempore uel comprehensione comprehenditur. incircumscriptibile uero est, quod nullo horum continetur. igitur incircumscriptibile quidem est deus sine principio et sine fine ens et omnia continens et nulla comprehensione contentus.' — Ad usum operis Damasceni tempore medii aevi cf. P. Minges, Zum Gebrauch der Schrift ,de fide orthodoxa' des Joh. Damascenus in der Scholastik, Theol. Quartalschr. 96 (1914) 246.

[2] Cf. Monol. cap. 79. PL 158, 222. Ed. F. S. Schmitt, Flor. Patrist. fasc. XX, Bonnae 1929, p. 65: ,Quippe omnis qui Deum esse dicit, . . . non intelligit nisi aliquam substantiam, quam censet supra omnem naturam.' Proslogion cap. 2. PL 158, 227. Ed. F. S. Schmitt, Florileg. Patrist. fasc. XXIX, 1931, p. 11: ,Et quidem credimus te esse aliquid, quo nihil maius cogitari possit.'

[3] PG 28, 1582. Denzinger n. 39.

[4] Phys. lib. 3 cap. 6. 207 a 7; cf. Comm. S. Thom. Aqu. [Venetiis 1594] in libr. 3 lect. 11.

[5] Vide supra q. 1 n. II, p. 11.

mentum Damasceni[1] contra dicentes duo principia esse, quae sunt summe bona.

B. Sed contra: Summum aut dicitur per accessum ad terminum aut per recessum a termino contrarii. Si primo modo: ergo bonum habebit terminum, qui potest attingi, et sic nihil prohibet multa esse summe bona sicut summe alba. Si secundo modo, tunc dicetur summum bonum, quod remotissimum est a summe malo, et sic aliquid erit summe malum, quod improbatum est ab Augustino[2] et Dionysio[3].

Solutio: Dicendum:

1. a. Ad primum, quod infinitum dicitur secundum duos modos scilicet privative et negative. Privative infinitum est imperfectum. Sed negative adhuc dicitur duobus modis, secundum quod negatio potest negare in genere vel extra genus. Si negat extra genus, tunc iterum ponit imperfectionem. Sed si negat in genere, tunc nihil prohibet Deum esse infinitum, eo quod non finitur fine exteriori, scilicet tempore vel loco vel intellectu, et haec distinctio saepius supra[4] habita est, et per eam patet solutio ad totum, quod obicitur de primo.

2. Ad id quod ulterius quaeritur, utrum simplex sit vel compositum dicendum, quod simplex. Et hoc est ex indifferentia eius qui habet, et eius quod habetur. Nihilominus tamen cum dicitur summum et cum dicitur sapiens et bonus, nomina illa non sunt synonyma. Omnia enim huiusmodi attributa secundum veritatem sunt in Deo. Quod autem sunt idem in substantia, hoc est ideo, quia propter nimiam simplicitatem non potest differentia esse habentis et habiti. Nec tamen dico, quod hoc sit per accidens. Veritas enim sapientiae, bonitatis, virtutis et huismodi attributorum non est ex eo, quod habeant vel non habeant compositionem in eo, in quo sunt, sed potius ex rationibus eorum. Et hoc habet melius determinari in quaestione De attributis divinis[5]. Et per hoc patet solutio ad ea, quae obiciuntur de secundo.

3 summum *om. Bb* 6—7 summe b. *MB* 13 si neg. extra genus *om. A* iterum] primum *del. M in text.* ponit *om. Ab* 16 saepius *om. M* 18 ulterius *om. BVM* 19 qui habet] quod habet *M* quam h. *A* 24 habentis] habitus *Ao* 26 vel non habeant *om. M* 28 hab. melius determinatum *M* 29 obiciunt *Ao*

[1] Cf. De fide orthod. lib. 1 cap. 5. PG 94, 801.

[2] Cf. Contra Faustum Manich. lib. 21 cap. 14—16. PL 42, 397 sqq. CSEL XXV. 1, 585 sqq.

[3] Cf. De div. nom. cap. 4 § 21. PG 3, 722.

[4] Vide: In I Sent. dist. 2 a. 2. J. 14 p. 33 b (hic expresse de illo termino agitur et secundum distinctionem supra habitam); Summa de quatt. coaequ. (Summa de creaturis I) q. 3 a. 1. J. 19 p. 18 a; ibidem a. 2. p. 19 a; Summa de homine (Summa de creaturis II) q. 88 a. 2. J. 19 p. 355 a.

[5] De hoc opere, de quo adhuc scribendo hic sermo est, cf. P. G. Meersseman O. P., Introductio in opera omnia B. Alberti Magni O. P. [Brugis 1931] p. 107 sq. — De attributis divinis iam tractatum est: In I Sent. dist. 8. J. 14, p. 135 sqq, praesertim art. 3.

3. Ad id quod tertio quaeritur, utrum sit unum vel multa, dicendum, quod ipsum est unum solum.

b. Ad id quod contra obicitur, dicendum, quod comparatio est per accessum ad terminum, quia Deus est in fine bonitatis, qua bonitate non potest esse maior; ad quem terminum non possunt attingere alia bona, nec est simile de albo, cuius intensio et remissio est ex causis corporalibus, quae in Deum non cadunt. Boni autem excessus [1] notatur in tribus, scilicet in creatione boni et in collectione omnis rationis boni et in simplicitate boni, quae facit puram bonitatem, eo quod non est positione et diversis a natura sua permixta, et haec non convenit nisi summo bono, quod est Deus.

Quaestio 4

Utrum bonum secundum communem aliquam rationem dicatur de bono increato et creato

Tertio quaeritur, utrum bonum secundum communem aliquam rationem dicatur de bono increato et creato, et videtur quod non. Omnis
f. 313Vb enim communitas ponit / convenientiam in aliqua natura, quae participatur aequaliter aut per prius aut per posterius. Nulla natura participata est sic a bono increato et creato, eo quod nihil est commune creatori et creaturae: ergo non dicitur secundum communem rationem de creato et increato.

Item: Si diceretur secundum communem rationem, illa non posset esse generis vel speciei, sed erit secundum analogiam. Analogia autem tribus modis est, scilicet per convenientiam ad subiectum, sicut dicitur ens analogum per convenientiam ad substantiam, quae subiectum est omnis entis; aut per comparationem ad unum actum, sicut dicitur mederi medicus et vetula et instrumenta medicinalia; vel per comparationem ad unum finem, sicut sanum dicitur de animali et medicina et potu et urina. Istae enim distinctiones analogi ponuntur ab A r i s t o t e l e in principio III[i] M e t a p h y s i c a e [2]. Quod autem bonum non dicatur primo modo communiter, ex hoc patet, quod non est unum subiectum boni, in quo sit omne bonum et a quo habeat esse

2—3 quod ipsum . . . dicendum *om. M* 3 comparatio] operatio *ABb* 5 term. tamen *BM* 7 etiam que *A* 8 rationis *om. M* 10 positione] ponere *AoM* p'co *? V* et div.] ex d. *M* conveniunt *BV* 13—14 *om. omn. praeter V, ubi autem ponitur* de b. creato et increato 16 creato et incr. *Ab* 17 in aliquam naturam *A* 18 aut per post.] aut post. *Bb* et post. *MV* 19 sic *om. M* a bono] ab *BVM* 24 scil. secundum conven. *BVM*

[1] Vide h. q. sub n. III, p. 24. Cf. H. Kühle, Die Entfaltung des Gottesbegriffes, p. 59.

[2] Cf. Metaph. lib. 4 (*Γ*) cap. 2. 1003 a 32 sqq.; lib. 11 (*Κ*) cap. 3 1061 a sqq.

bonitatis suae. Nec secundo modo: non enim ad eundem actum habet se bonum creatum cum increato, nec etiam omne bonum creatum ad eundem actum se habet.

Praeterea: Primum bonum per substantiam bonum est et non tantum in comparatione ad actum aliquem; similiter creata bona, inquantum sunt [1], et non tantum, inquantum agunt. Tertio autem modo non videtur dici communiter. Si enim bonum est ex indivisione finis secundum naturam, cum non sit idem finis secundum naturam, non erit communitas ex respectu bonorum ad finem unum.

Solutio: Dicendum, quod ibi est communitas proportionalitatis, ut supra [2] determinatum est, quae reducitur ad tertium modum analogiae. Licet enim unus finis non sit, quem attingat omne bonum ut complementum suum, tamen unus finis est extra, ad quem se habet omne bonum creatum, inquantum potest. Et hic finis est summum bonum. Alia enim bona non sunt bona nisi ab illo et ad illud. Et per hoc patet solutio ad totum.

Quaestio 5

Utrum bonum secundum praedicationem abstractam reflectatur super se

I. Quarto quaeritur, utrum bonum secundum praedicationem abstractam reflectatur super seipsum, ut dicatur: bonitas est bona; et videtur quod non. Nihil enim denominat seipsum: ergo videtur, quod bonitas non sit bona, sicut albedo non est alba nec iustitia iusta.

Item: Abstractum non dicit nisi essentiam unam. Concretum autem supponit duas: ergo videtur, quod abstractum non dicatur de concreto nec e converso, et sic iterum bonitas non est bona.

A. Sed contra: Augustinus dicit in libro de Trinitate [3], quod bonitas est bona.

Solutio: Dicendum, quod bonum potest duobus modis attendi, et similiter bonitas; scilicet secundum quod se habet ad ens, cum quo convertitur secundum supposita, et secundum propriam rationem ipsius, quae est in- / divisio finis. Et primo modo consideratur id quod est f. 314[Ra]
bonitas, secundo modo ratio bonitatis. Et sic nihil prohibet, quod deno-

3 eundem] unum *BVM* 6 inquant. sunt *add. M* bona sunt autem] tamen *M* etiam *BV* 8 finis] *add.* omnium *in marg. Bp* 10 est *om. M* 18—19 *om. omn. codd. praeter M* 24 nisi ess. unam] ess. preter unam *M* 26 et sic ... bona] et sic habetur falsa bonitas est bona *M* 27—28 *om. V* 29 duob. m. pot. *Ab* 30 quia scil. *M*

[1] Cf. q. 1 p. 12, not. 3 et 4.
[2] Vide q. 1 resp. a sub finem, p. 16.
[3] Cf. De trinit. lib. 8 cap. 3. PL 42, 949 sq.

minando reflectatur super seipsum, ut scilicet illud, quod bonitas est, secundum suppositum sit bonum per rationem bonitatis. Alio modo consideratur duobus modis bonitas: scilicet secundum rationem bonitatis et secundum effectum, quem habet in subiecto. Et sic iterum nihil prohibet, quod denominando reflectatur super seipsum, ut bonitas ratione finis sit bona per effectum.

1. Ad primum ergo dicendum, quod nihil denominat se secundum idem, sed secundum diversas rationes potest fieri denominatio.

Ad aliud dicendum, quod cum dicitur bonitas, licet sit abstractum a subiecto, nihil tamen prohibet, quin habeat concretionem vel ad actum vel ad finem, et sic denominativum suum duo supponet circa ipsum. Sunt tamen qui[1] dicunt, quod omnia prima simplicia reflectuntur super se, sicut unitas seipsa est una et ens seipso est ens et veritas seipsa est vera et differentia seipsa est differens; et cum bonitas sit unum de primis, dicunt etiam, quod bonitas seipsa est bona.

1 id quod est b. *BVM* 3 etiam duob. m. *BVM* 10 a subi.] a bono *V* 11 supponit *BV* 13 et essentia seipsa *V* 14 vera] veritas *M* est diff.] est *om. B*

[1] Cf. Alex. Hal., Sum. theol. I [Ad Claras Aquas 1924] n. 28, p. 41; ibidem n. 73, p. 116. n. 77, p. 125; cf. Bonav., In I Sent. dist. 3 pars 1 dub. 3 [Ad Claras Aquas 1882] p. 78 b et ibidem not. 13. — Cf. Albertus M., In I Sent. dist. 3 a. 15. J. 14, p. 64 b et 65 b.

III. DE COMPARATIONE BONI AD ENS

Deinde quaeritur de comparatione boni ad ens, et quaeruntur duo. Quorum primum est, utrum bonum cum ente convertatur; secundum, utrum omne quod est, inquantum est, bonum est.

Quaestio 6

Utrum bonum cum ente convertatur

I. Ad primum proceditur sic: Dicit Aristoteles[1], quod illa convertuntur, quae se invicem similiter sequuntur. Bonum et ens non similiter se invicem sequuntur: ergo non convertuntur. Secunda probatur per hoc, quod ens est ut causa primaria ad bonum et ut subiectum ad ipsum. Causa autem primaria est, qua existente non de necessitate existit secunda.

Praeterea: In Libro de causis[2] quarta propositio est haec: ‚Prima rerum creatarum est esse, et non est ante ipsum creatum aliquod.' Ergo videtur, quod ens sit ante bonum. ‚Ante' autem est per intellectum, quo posito non de necessitate ponitur aliud: sic iterum bonum non convertitur cum ente.

Item: Habetur per commentum Libri causarum[3], ubi dicit sic, quod ens est per creationem, bonum autem per informationem; et intendit dicere, quod illud per creationem est, cuius esse non fundatur super aliquid, quod sit ante ipsum; per informationem autem est, cuius esse fundatur super aliquid, quod est ante ipsum. Et sic iterum ens per suppositum est ante bonum, et sic non convertitur cum ipso.

Praeterea: Partes dividentes nunquam convertuntur cum diviso. Omnia opposita sunt partes dividentes ens: ergo non convertuntur cum ente. Prima probatur per hoc, quod partes dividentes contrahunt divi-

---

1 *M, om. AB,* utr. b. convertatur c. ente *V, quod add. in marg. M* 3 utr. bonitas *A* 6 *om. omn. praeter V* 11 existente] exemplaritate *A* 14—15 aliquod] aliud *BVM* 16 sic] ergo *BVM* 18 idem *BpM* 21—22 per inf. . . . ipsum *om. BpV* 23 per] quod *Ab* 26 Prima] preterea *A*

---

[1] Cf. Anal. Pr. lib. 2 cap. 21. 66 b sqq.

[2] § 4. Ed. O. Bardenhewer, p. 166.

[3] Cf. ibidem § 17. Ed. O. Bardenhewer, p. 180. De distinctione erronea inter auctorem propositionum et auctorem commenti vide O. Bardenhewer l. c., pp. 152 sq., 253, 264.

sum in minorem communitatem. Secunda habetur per hoc, quod nihil f. 314Rb est oppositum alii in genere, sed in specie. Si enim esset oppositum / in genere, esset oppositum in potentia, et cum opposita mutuo se expellant, non essent opposita simul in potentia, quod falsum est, quia dicit Aristoteles in IX⁰ Metaphysicae[1], quod ,opposita sunt simul in potentia'. Inde sic procedatur: Bonum et malum sunt opposita: ergo bonum est unum de dividentibus ens et non erit conversum cum ipso.

Item: Habitum est prius[2], quod bonum est notificabile. Notificantia autem aut sunt partes entis aut non. Si non, tunc nihil sunt, quia nihil est, quod non sit pars entis, et sic nihil notificaret. Si vero sunt partes entis, cum notificantia non convertantur cum notificato, bonum non convertitur cum partibus entis: ergo multo minus cum ente.

Item: Bonum est indivisio actus a potentia[3]. Sed actus et potentia dividunt ens, ut probatur in IX⁰ Metaphysicae[4]: ergo bonum diffinitur per partes entis. Sed nulla pars convertitur cum toto: ergo nec diffinitum per partem cum toto convertetur: ergo bonum non convertitur cum ente.

Item: Bonum est indivisio actus a potentia: ergo bonum est ens relatum ad finem. Ens relatum ad finem non convertitur cum ente: ergo bonum etiam non convertitur cum ipso.

A. Sed contra: In commento Libri causarum[5] super XXIIam propositionem dicitur sic: ,Res omnes desiderant bonitatem ex primo et desiderant ipsum recipere desiderio multo' et: ,In illo non est aliquis, qui dubitet.' Cum ergo primum sit largissimum, ut dicitur ibidem[6], omnibus dabit suam bonitatem: ergo omne quod est, bonum est, et sic bonum cum ente convertitur.

Item: Dionysius in IV⁰ capitulo De divinis nominibus[7] dicit: ,In omnibus existentibus est bonum et bonum omnia continet', et ex hac sequitur idem.

2 si enim esset] si enim omne *M* si eciam esse *Bb* et sicut esset *V* 3 esset et opp. *M* e. tunc opp. *V* 5 in IIII *Bp* 7 ens] esse *A* 13 multo minus] nichilominus *B* nihil m. m. *V* 20 ergo bonum] *add.* quod *int. lin. al. m. Bp, praeb. in textu Bb* 21 Ens rel. ad f. *om. B* 22 etiam *om. BVM* 31 ex hoc *BVM*

[1] Metaph. lib. 9 (Θ) cap. 9. 1051 a 10; cf. Comm. S. Thom. Aqu. [Venetiis 1594] in libr. 9 lect. 10.
[2] Vide q. 1 lit. c. sub finem, p. 19.
[3] Vide q. 1, p. 10 not. 2.
[4] Cf. Aristot., Metaph. lib. 9 (Θ) cap. 10. 1051 a 34 sqq.
[5] Lib de causis § 22. Ed. O. Bardenhewer, p. 184. Cf. h. q., p. 29 not. 3.
[6] Cf. ibidem § 19. L. c. p. 181.
[7] Cap. 4 § 21. PG 3, 721. Verba Jo. Scoti Er., PL 122, 1140, et Jo. Sarac., in: Dionys. Carth. opp. omn. [Tornaci 1902] tom. 16, p. 370, fere aequalia sunt.

Item: Dionysius ibidem[1]: ‚Nihil universaliter est boni participatione privatum'.

Praeterea: Augustinus[2] et Boëthius[3] dicunt, quod ‚omne quod est, inquantum est, bonum est'.

Item: Optimi est optima adducere, ut dicit Dionysius[4]. Similiter Boëthius[5] dicit, quod bonum est, quod est a bono. Cum ergo omnia sint a bono, omnia erunt bona, et sic iterum nihil erit ens, quod non sit bonum.

II. Iuxta hoc quaeritur, quid bonum addat super ens, et videtur, quod nihil. Si enim convertuntur secundum omnia, quae sunt in ipsis, tunc neutrum abundat ab altero.

Praeterea: Si bonum adderet super ens, tunc ens, inquantum ens, non esset bonum, sed per illud additum acciperet rationem boni, quae omnia falsa sunt. Ergo bonum nihil addit super ens.

B. Sed contra: Quaecumque duo nomina sic convertuntur, quod neutrum cedit super reliquum, ipsa sunt synonyma circa idem. Ergo si bonum et ens sic se habent, ut dictum est, ipsa erunt synonyma circa idem, quod falsum est.

Solutio: Dicendum, quod bonum uno modo est posterius ente et secundo modo est ante ipsum et tertio modo convertitur cum ipso. Si enim consideretur intentio boni et intentio entis, in unoquoque ens erit creatum primum et causa primaria, et bonum erit per informationem in ente et secundum. Intentio enim entis est intentio simplicissimi, quod non est resolvere in aliquid, quod sit ante ipsum secundum ratio- f. 314Va nem. Bonum autem resolvere est in ens relatum ad finem, et hoc accipitur a verbis Dionysii in V° capitulo De divinis nominibus[6], ubi loquens de ente dicit sic: ‚Ante alias Dei participationes esse propositum est, et est ipsum secundum se esse, senius eo, quod est per se vitam esse, et eo, quod est per se sapientiam esse, et eo, quod est per se similitudinem divinam esse et alia quaecumque existentia et participantia ante omnia illa esse participant.' — Si vero consideratur

---

5 producere *M* 7 nihil] non *B* 13 reciperet *M* 16 cedit] addit *BVM* 17 haberent *M* 16—18 Ergo ... circa idem *om. V* 21 int. entis] racio entis *A* 23 et secundum] creato *del. M in textu et corr. in marg.* 24 in] ad *BVM* 26 in verbis *M* ex verb. *BV* 28 senius eo *om. V* 29 et ex eo q. e. p. se sap. esse *A* 30 divinam *om. AV* 31 considerentur *BV*

---

[1] Cap. 4 § 33. PG 3, 733. Translationes Jo. Scoti Er., PL 122, 1145, et Jo. Sarac., l. c. p. 374, dicunt aequaliter: ‚Nihil autem existentium privatur universaliter bono.'

[2] De div. quaest. 83 q. 24. PL 40, 17.

[3] Lib. de hebdom. PL 64, 1311. Ed. R. Peiper, p. 170.

[4] De div. nom. cap. 4 § 19. PG 3, 716. Cf. transl. Jo. Scoti Er., PL 122, 1138: ‚(est) ... neque optimi non optima adducere.'

[5] Lib. de hebdom. l. c.

[6] Cap. 5 § 5. PG 3, 820. Transl. Jo. Sarac. l. c. p. 376.

bonum et ens non in quocumque, sed bonum in causa prima et ens in creatis, sic ens erit posterius bono. Et in hoc sensu dicit Augustinus[1]; ,Quia Deus bonus est, sumus, et inquantum sumus, boni sumus'. Et Dionysius IV° capitulo De divinis nominibus[2] loquens de bono dicit sic: ,Sicut noster sol non ratiocinans aut praeeligens, sed per ipsum esse' — hoc est per hoc quod est — ,illuminat omnia participare lumen ipsius secundum propriam rationem valentia, ita quidem bonum super solem sicut super obscuram imaginem segregate archetypum' — id est excellenter principale exemplum — ,per ipsam essentiam omnibus existentibus proportionaliter totius bonitatis immittit radios'. Et de hoc est bonum verbum infra eodem capitulo[3], ubi sic dicit: ,Bonum est, ut eloquia dicunt, ex quo omnia consistunt et sunt, sicut ex causa perfecta deducta, et in quo omnia consistunt, sicut in potenti plantatione custodita et contenta, et ad quod omnia convertuntur quemadmodum ad proprium singula finem, et ad quod desiderant omnia: intellectualia quidem et rationalia cognitive, sensibilia autem sensibiliter, expertia vero sensus naturali motu vivifici desiderii, carentia autem vita et tantum existentia aptitudine ad solam substantiae participationem.' Et ex ista auctoritate tria accipiuntur de bono, quorum primum est, quod bonum in causa prima est diffusivum et communicativum esse sicut sol luminis, et quod omnia fundata sunt in ipso sicut in conservante esse uniuscuiusque. Secundum est, quod bonum est finis, ad quem omnia convertuntur. Tertium est, quod bonum est, quod ab omnibus optatur et desideratur aut cognitive aut sensibiliter aut vivifice aut ad solius participationem esse. Unde sic dicit Maximus[4]: hoc

3 Quia] quod *A* sumus *(1° loco)*] summus *omn. codd.* inqu. s.] inqu. minus *A* sumus, boni *ab al. m. in marg. Bp, om. Bb* summus bonissimus *V* 5 *noster (sec. transl. Jo. Sarac.)*] uidetur *omn. codd.* sol non] solum *A* 6 p. h. patet quod *A* 7 illuminans *M* p. lumine *B* participato lumine *V* 9 segregare *M* 12 in eod. c. *BV* 17 cognicione *M* cognicio *V* sensib. autem sensib. *(sicut transl. Jo. Sarac.)*] sensualia autem sensualiter *A* sensib. aut sensitiua *V* experiencia *Bp* ex parte *Bb* 18 vero sensus] uero sunt *V*, *om. M* motus *A* 20 excipiuntur *BpV* 23 bonus *M* 24—25 bon. est ab omn. optatum et desideratum *BVM* 25 cognicione *M* cogitantem *V* sensualiter *A* sentientem *V* uiuificam *V* 26 sic *om. BVM*

[1] De doctr. christ. lib. 1 cap. 32. PL 34, 32.

[2] Cap. 4 § 1. PG 3, 693. Transl. Jo. Sarac. l. c., p. 362.

[3] Ibidem § 4. PG 3, 700. Transl. Jo. Sarac. l. c., p. 362, ubi leges: „ex quo omnia subsistunt . . .".

[4] In libr. De div. nom. scholia cap. 4 § 7. PG 4, 252, ubi autem haec opinio non legitur, quae quidem in quodam glossario vel commentario adhuc ignoto inveniri possit. Ipso enim S. Maximo graece scribenti non adscribenda est; invenies l. c. haec verba: *,κάλλος μὲν γὰρ λέγεται διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ διαδεδομένην πᾶσι καλλονὴν καὶ ὅτι πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλεῖ.'* Cf. Ps. Dionys. Areop., De div. nom. cap. 4 § 7. PG 3, 701: ,. . . *ὡς πάντα πρὸς ἑαυτὸ καλοῦν (ὅθεν καὶ κάλλος λέγεται).'*

nomen bonum non aliunde originem ducit nisi a verbo graeco, quod est ,boo' id est clamo. Boo enim et calo id est clamo et voco unum sensum possident; etenim qui vocat, saepissime in clamorem erumpit. Deus enim non inconvenienter bonus diciter et bonitas, quia omnia de nihilo in essentiam venire intelligibili clamore vocat. — Si autem tertio modo considerentur bonum et ens scilicet secundum supposita, ut scilicet consideretur id quod est ens et id quod est bonum, / tunc f. 314 vb bonum et ens convertuntur, quia nihil est, quod non sit bonum vel perfecte vel imperfecte, ut supra[1] ostensum est. Et per hoc patet solutio ad totum. Omnes enim primae rationes procedunt considerando bonum et ens secundum proprias suas intentiones, et hoc modo bene concedimus, quod non convertuntur, sed ens est prius bono.

Quaestio 7

Utrum omne quod est, inquantum est, bonum est

I. Secundo quaeritur, utrum omne quod est, inquantum est, bonum est. Hoc enim probat Boëthius in Libro de hebdomadibus[2] sic: ,Ea quae sunt, bona sunt. Tenet enim communis sententia doctorum: omne quod est, ad bonum tendere. Omne enim intendit ad simile. Quae igitur ad bonum tendunt, bona ipsa sunt.' Sed omne quod est, inquantum est, ad bonum tendit: ergo omne quod est, inquantum est, bonum est. Et haec ratio Boëthii fundatur super duas hebdomades, quas praemisit, quarum una[3] est: ,Omnis diversitas est discors, similitudo autem appetenda est.' Quod sic probatur: diversitas aut est a disparatis aut a contrariis et utroque modo principium est disconvenientiae et per consequens fugae. Similitudo vero est in convenientibus perfectioni et consistentiae rei, et illa sunt semper appetibilia. Secunda[4] est: ,Quod appetit aliud, tale ipsum naturaliter esse ostenditur, quale est hoc, quod appetit', et hoc probatur ex praecedenti. Ex his autem duabus sequitur, quod, si omne quod est, ad bonum tendit, quod bonum non sit discors ab ipso, sed est simile sibi; et si est simile sibi, tunc tale est, quale bonum est, ad quod tendit, et sic ipsum, inquantum est, bonum est.

2 boo i. e. clamo *om. M* 4 Deus enim] deus ergo *BVM* 7 et id] id *om. M* 14 *om. omn. codd. praeter M* 19 ad simile] ad finem *Bp* ipsa *om. M* 21 Boëthii] boni *M* 22 ebdomadas *A*, ebd' *M* una est *om. et add. int. lin.* una *Bp* 23 discors] *add. int. lin. al. m.* fugienda *Bp* autem] uero *BVM* 24 dispar.] desperatis *BbV* 30 sit] est *BVM* 31 sibi, sibi] ipsi, ipsi *M* 31—32 ad quod . . . bon. est *om. Ab*

[1] Vide supra q. 2, q. 4.
[2] PL 64, 1311. Ed. R. Peiper, p. 170.
[3] Ibidem. L. c., p. 169. [4] Ibidem. L. c., p. 170.

A. Hoc concesso obicit Boëthius[1] in contrarium sic: ‚Quemadmodum bona sunt ea quae sunt, inquirendum est, utrumne participatione aut substantia. Si participatione, per seipsa et substantia nullo modo bona sunt.‘ Et hoc probat per inductionem sic[2]: ‚Nam quod participatione album est, per se in eo quod ipsum est, album non est, et de ceteris qualitatibus eodem modo. Si igitur participatione bona sunt, ipsa per se nullo modo bona sunt.‘ Et haec ratio fundatur super duas hebdomades, quarum una[3] est: ‚Diversum est, tantum esse aliquid et esse aliquid in eo quod est; illic enim accidens, hic substantia significatur.‘ Ex hac enim habetur, quod non est idem: ens esse bonum et ens esse bonum eo quod est. Cum enim dicitur ens esse bonum, significatur bonum participatum ut accidens ab ente. Cum autem dicitur ens esse bonum in eo quod est, significatur bonum esse substantia entis. Secunda[4] est: ‚Quod est, habere aliquid potest praeter id quod ipsum est. Ipsum vero esse nihil aliquid praeter se habet admixtum.‘ Et sensus est huius, quod id quod est ens, aliquo participare potest, quod per informationem est in ipso et contrahit ipsum ad hoc vel ad illud ens in numero vel specie vel genere. Sed ens consideratum in simplici esse non habet admixtum aliquod secundo-
f. 315Ra rum contrahentium. Cum igitur haec reduplicatio in eo / quod est, faciat considerari ens secundum esse simplex suum, ens in eo quod est, non habet aliquid secundorum admixtum, et sic non habet admixtum bonum: non ergo in eo quod est, bonum est.

B. Si forte concederetur hoc, quod improbavit Boëthius[5], scilicet quod ens non participative bonum est, sed substantia: obicit Boëthius[6] sic in contrarium: ‚Quorumcumque substantia bonum est, id quod sunt, bona sunt. Sed quaecumque id quod sunt, bona sunt, illis idem est esse quod bonum esse.‘ Sed nulli nisi primo idem est esse quod bonum esse: ergo omne quod est, est primum vel Deus, quod nefas est dicere. Non ergo substantialiter bona sunt, quae sunt[7]. Et hoc etiam fundatur super duas hebdomades, quarum una[8] est: ‚Omne simplex esse suum et id quod est unum habet.‘ Alia[9] sequitur ex illa, quod ‚omni composito aliud est esse et aliud id quod est‘. Et vocat ‚esse simplex‘ illud, quod significatur in intentione entis. ‚Id‘

3 aut *corr.* an *Bp* aut subst. si partic. *om. V* 7 fund. etiam *BVM* 8 hebdomadas *A* ebd' *M* 11 in eo quod *BVM* 12 participatur *Ab* participari *V* 13 ens *om. Ab* 14 potest *om. A* 15 praeter id] preter quod id *B* praeterquam *M* 19—20 aliquod horum contrah. secundorum *Bb* 20 haec *om. M* 25 participacione *BbM* 26 bonum] bona *V* 31 ebdomadas *A* ebd' *M* 32 unum] unde *Ao*

[1] Ibidem p. 1312. L. c. ibidem.
[2] Ibidem. L. c. ibidem.
[3] Ibidem p. 1311. L. c., p. 169.
[4] Ibidem p. 1311. L. c., p. 169.
[5] Cf. ibidem p. 1312. L. c., p. 170.
[6] Ibidem. L. c. ibidem.
[7] Cf. Ibidem. L. c. ibidem.
[8] Ibidem p. 1311. L. c., p. 169.
[9] Ibidem L. c. ibidem.

autem ,quod' vocat ens determinatum ad suppositum hoc vel illud in numero vel specie vel genere propter articulationem et determinationem, quae importantur ex pronomine ,id' et nomine ,quod'. Hebdomas autem idem est quod credibile sive communis animi conceptio. ,Communis animi conceptio est', ut ibidem[1] dicit, ,enuntiatio, quam quisque probat auditam' — idest: approbat — et ,harum duplex est modus. Nam una ita communis est, ut omnium sit hominum, veluti si hanc proponas: si duobus aequalibus aequalia auferas, quae relinquuntur, aequalia esse. Nullus enim id intelligens negat. Alia vero est doctorum tantum, quae tamen ex talibus communibus animi conceptionibus venit ut est haec: quae incorporalia sunt, in loco non esse'.

Praeterea sic potest obici contra rationes Boëthii: Si ea quae sunt, inquantum sunt, ad bonum tendunt, eo quod similia sunt bono, et similitudo est rerum differentium eadem qualitas: tunc bona sunt, antequam tendant ad bonum. Sed nihil tendit ad id, quod iam est vel habet: ergo si omne quod est, inquantum est, bonum est, non tendit ad bonum, quod est contra Boëthium et contra illam hebdomadem[2], quae dicit: ,Quod appetit aliud, tale ipsum esse naturaliter ostenditur, quale est id, quod appetit.' — Praeterea si omne quod est, ad bonum tendit, non tendit ad ipsum nisi, ut fiat bonum. Sed inquantum est, bonum est: ergo bonum est, antequam fiat bonum, quod est impossibile.

II. Solutio Boëthii est ad hanc quaestionem per distinctionem. Dicit[3] enim, quod multa sunt, quae actu separari non possunt, intellectu autem separantur ab invicem, ut triangulum, quod actu non separatur a materia sensibili, intellectu autem abstrahitur, sicut consideratur in mathematicis. Similiter bonum et esse inseparabilia sunt actu, sed intellectu separari possunt, et hoc in secundis bonis sive creatis. Intelligamus enim paulisper primum bonum non esse bonum et tantum ipsum / esse causam entis creati, tunc ens creatum, etiamsi f. 315 Rb sit bonum, non tamen idem erit esse et bonum esse in ipso, quod sic probatur: esse enim erit ab ente primo, sed bonum esse non erit ab eodem, eo quod intelligitur non esse bonum. Unde in creatis sicut aliud est esse et aliud esse grave et coloratum, ita aliud est esse et aliud bonum esse, et non in eo quod sunt, bona sunt, quia sunt in eo quod

3—4 hebdomadas *Ab* hebdomades *Bp* 6 quisque] qui sed *Ab* 7 una *om. A* 7—8 ueluti huiusmodi proponens *M* 10 animi *om. M* 10—11 conceptibilibus *A* 12—13 rat. Boëth.] racionem boni *V* 14 qualitas] quantitas *A*, *sed del. Ao in textu et corr. in marg.* 16 tendit] *praepon. postea* in *Ab* intendit *Ao* 17 Boëth.] bonum *A* 18 ebdomadam *ABp* ebd' *M* 19 id] illud *BV* 23 dist.] diffinicionem *V* 28 secundis] suis *M* 29 creatis] causatis *Ab* paulisper semper *AB*

[1] Ibidem p. 1311. L. c., p. 169. [2] Ibidem. L. c., p. 170.
[3] Cf. ibidem p. 1312. L. c., p. 171.

sunt, ab ente primo. Non autem bona sunt in eo quod sunt, ab illo, eo quod positum est ipsum non esse bonum. Mutetur igitur positio et intelligatur primum bonum esse bonum: tunc ab ipso erit esse et bonum esse; et erit ens ab ipso, inquantum est, et bonum ab ipso, inquantum bonum est. Et esse uniuscuiusque erit bonum, quia est a bono, et esse creatum erit bonum, inquantum est, et substantialiter bonum. Non tamen erit bonum primum, quia illud non est ab alio. Istud autem fluxit ab alio. Haec est solutio Boëthii, et patet, quod est imperfecta et obscura.

C. Unde et ipse Boëthius obicit[1] contra solutionem: Quia, si in eo quod sunt, bona sunt, quia sunt ex voluntate boni: tunc etiam in eo quod sunt, alba sunt vel rotunda, quia placuit Deo, quod essent alba vel rotunda. Et solvit Boëthius, quod non est simile. Album enim non comitatur voluntatem eo quod Deus non est albus, sicut est bonus; et propter hoc, si idem est creatis esse quod bonum esse, non propter hoc idem est eis esse quod album esse. Sed huic solutioni iterum fert instantiam, quia secundum hoc omnia habebunt esse iusta, quia Deus iustus est, a quo sunt omnia. Et solvit, quod non est simile, quia iustum pertinet ad actum, bonum autem ad esse, et licet Deo idem sit esse quod iustum esse, creatis tamen et nobis non est idem esse quod iustum esse. Sed idem est creatis esse quod bonum esse, et propter hoc sunt bona, quia a bono, non tamen iusta, quia a iusto. Amplius: Bonum est generale et propter hoc in omnia descendit, iustum autem speciale, et ideo non descendit in omnia.

III. Omnibus enim his dictis remanet quaestio non soluta. Supponitur enim, quod idem sit creatis esse quod bonum esse, et hoc contra hebdomadem illam[2], quae dicit, quod ‚omni composito aliud est esse et aliud, quod ipsum est'. Similiter contra illam[3], quae dicit, quod ‚esse nihil habet admixtum praeter se'. Similiter si nihil est idem quod habet, nisi solum primum, sequitur adhuc, quod omne bonum est primum bonum. Et si dicitur, quod distinguitur per hoc, quod est esse ab alio et non ab alio, tunc ad minus sequitur, quod bonum secundum aequum simplex sit ut primum, quia idem est ei esse quod bonum esse; quod est contra Librum causarum[4], ubi dicitur, quod primum est in fine simplicitatis.

6 esse] omne *BVM* 12 quod sunt bona alba sunt *BV* 13 non *om. Bb, add. al. m. int. lin. Bp* 14 comit. volunt.] comitatur *del. M et leg.* commutatur de uoluntate est bonus] et b. *A* 15 quod bonum] et b. *Ab* 20 et nobis] in nobis *ABV* 20—21 quod iust. esse *om. A* 25 enim *om. BVM* his *om. M* 26 hoc est *BVM* 27 ebdomadam *A* ebd' *M* 28 aliquid est esse *A* 29 Esse *del. Ab post* habet, *om. Ao* Sim. si] sed *Bp* 30 ideo sequ. *Bp* 32 esse ab illo *A* 33 ut] sicut *Bp*

[1] Cf. ibidem p. 1312 sq. L. c., p. 172 sq.
[2] Ibidem p. 1311. L. c., p. 169. [3] Ibidem. L. c. ibidem.
[4] Cf. Lib. de causis § 26 sq. Ed. O. Bardenhewer, p. 186 sq.

Propter hoc solutio Boëthii sic est intelligenda: Supponatur nihil esse in effectu nisi a causa, eo quod effectus totum esse suum habet a causa. Causarum autem quaedam est intrinseca et quaedam extrinseca. Forma enim et materia sive potentia et actus sive ‚quod est‘ et ‚quo est‘ sunt intrinseca, / [f. 315Va] finis autem et efficiens extrinseca. Similiter causae cum sint quattuor, tamen recipiunt combinationes duas, secundum quod res producitur in esse. Finis enim est in efficiente per intentionem et forma est in materia per potentiam. Item cum causae omnes essent, tamen una est causarum causa [1]; immobilis manens omnes alias conducit ad actum; et illa est finis. Finis enim movet efficientem ut desideratum desiderium, et efficiens motus movet materiam ad inductionem formae.

⟨Solutio:⟩ His suppositis facile est solvere quaestionem. Omne enim bonum creatum fluxit a bono primo, inquantum ipsum est efficiens in se habens finem per intentionem. Et propter hoc esse creati nunquam absolvitur a ratione boni et tamen non est sibi idem esse quod bonum esse, quia esse est ab efficiente et bonum a fine movente efficientem. Et hoc est, quod dicit Boëthius [2], quod bonum est, quia est a bono, et bonum esse non est idem quod esse, sed necessarium consequens ad esse, quod non est separabile ab ipso nisi intellectu solum eo modo intelligendi, qui dictus est supra. Si enim primum non sit bonum, non sequitur de necessitate, quod, si aliquid est ab ipso, quod ipsum, inquantum sit, bonum sit. Similiter cum dicitur: ‚Omne quod est, inquantum est, bonum est‘, haec est duplex ex eo, quod ly ‚inquantum‘ potest denotare identitatem intentionis entis et boni, et sic falsa erit locutio, vel potest notare identitatem suppositi vel convenientiam, et vera erit.

c. Ad hoc autem, quod obicitur de albo, dicendum, quod album grave et rotundum et huiusmodi dicunt dispositionem materiae, et non efficientis vel finis ut est finis et efficiens; et propter hoc non est simile de talibus ad bonum et ad ens.

Ad id vero, quod obicitur de iusto, similiter dicendum est, quod non est dispositio efficientis ut efficiens et finis, ut finis movet efficientem, sed pertinet ad actum specialem, qui est: reddere unicuique quod suum est. Similiter iustum est species particularis boni, quod est in moribus. Bonum autem est generale consequens ens, et ideo non est simile. Ens autem est condicio efficientis ut est causans ens. Ante creatum enim

2—3 suum habet a] summa *A* 5 autem] uero *BVM* 6 tamen] tunc *A* duas *om. M* 9 quae immob. *Bp* quae scilicet immob. *MV* 9—10 producit *Bp* 16—17 creati ... quia esse *M ab al. m. in marg.* 20 quod] quia *M* 26 sic *om. B* potest *om. M* 31 et ad ens *om. V*, ad *om. BM* 32 similiter *om. Ab* 33 mouere *M* 37 ut] uel *M*

[1] Cf. ibidem § 17. L. c., p. 180.
[2] Cf. Lib. de hebdom. PL 64, 1312. Ed. R. Peiper, p. 171 sq.

non est nisi nihil et efficiens, et cum entitas creati non possit esse a nihilo, erit ab efficiente secundum quod est efficiens. Bonum autem est conditio finis ut finis. De aliis autem formis, sicut iustum et album et huiusmodi non erit simile, quia illae educuntur de materia, quod non potest esse de ente, quod est ante materiam per intellectum, eo quod ens dividitur in potentiam et actum.

3 iustum album *BVM* 4 erit] est *BVM* 5 quod est] quia est *BVM*

IV. DE COMPARATIONE BONI AD VERUM

Deinde quaeritur de comparatione boni ad verum, et quaeruntur tria, scilicet quid sit verum, et utrum veritas sit aeterna, ut quidam dicunt, et qualiter se habet ad bonum et ens.

Quaestio 8

Quid sit verum

I. Ad primum proceditur sic: Avicenna in III° Metaphysicae suae ultimo capitulo[1] dicit, quod ,veritas intelligitur et esse f. 315^{Vb} absolute in singularibus et intelligitur esse aeternum et intelligitur dispositio dictionis et intellectus, qui significat dispositionem in exteriore re, cum est ei aequalis; dicimus enim: haec dictio est vera et haec sententia est vera'. Et ex hoc accipitur duplex verum, scilicet in re et in signo. Et in re dupliciter, scilicet in singularibus rebus, quae permixtae sunt potentiae, et in aeterno, quod nullam habet possibilitatem sibi adiunctam. Probat enim Avicenna[2], quod necesse esse non est nisi unum, scilicet quod nullam habet causam. Omne enim, quod habet causam, esse suum pendet ad causam illam et sic est in potentia; secundum autem quod est in potentia, non est ipsum necesse esse. Unde cum unum solum sit, quod non habet causam, unum solum erit necessarium simpliciter, et quia hoc est verum, quod est necessarium, propter hoc verum est aeternum. In signo autem secundum Avicennam[3] est etiam duplex verum, scilicet in dictione, quae est signum exterius, et in sententia, quae est in speciebus intelligibilibus interius, quando adaequantur rei. Et ex ista etiam distinctione accipiuntur diffinitiones veri. Dicit enim Augustinus[4], quod ,verum est id quod est', et Hila-

1—2 *om. AB, add.* quid sit verum *M* 7 *om. ABM* 9—10 et esse absol. . . . . aetern. et intelligitur *om. M* 10 singularibus] significacionibus *AM* 11 et] uel *BV* 13 quod dupl. est verum *BM* 14 dupl.] duplex *BV* singularibus] significationibus *AM* 15 in aeterno] in signo *A* possibilit.] potestatem *ABp* 16 admixtam *BVM* 17 omne enim . . . causam *om. AoV* 23 dict. quae] dict. quod *A* 25 etiam *om. BVM* distinct.] diffinitione *Bp*

[1] Tr. 1 lib. 2 cap. 4 [Venetiis 1493 fol. 6^{Ra}].
[2] Cf. Metaph. tr. 1 lib. 1 cap. 2. 3 fol. 5^{R}—6^{R}; cf. tr. 8 cap. 4 fol. 30^{V} sq.
[3] Cf. ibidem fol. 6^{Ra}.
[4] Soliloqu. lib. 2 cap. 5 n. 8. PL 32, 889.

rius[1], quod ‚verum est manifestativum esse', et Anselmus[2], quod ‚veritas est rectitudo sola mente perceptibilis'. Ex usu autem loquendi, quo dicitur ‚verum aurum', quod habet veram naturam auri et non est permixtum rei alienae, sic diffinitur a quibusdam verum, quod ‚verum est indivisio esse et quod est', et dicitur, quod trahitur a Metaphysicis[3], sed non perspicue invenitur in libro.

A. Contra primam autem harum diffinitionum obicitur sic: Id quod est, est idem enti, et verum est id quod est: ergo verum est idem enti.

Praeterea: Aristoteles dicit in principio Praedicamentorum[4], quod singulum incomplexorum secundum seipsum neque verum neque falsum est. Similiter in III° De Anima[5] dicit, quod intelligentia indivisibilium in his est, in quibus non est falsum; in quibus autem verum et falsum est, iam est compositio quaedam intellectuum. Ex his autem accipitur, quod nihil incomplexorum est verum vel falsum. Sed id quod est, incomplexum est: ergo non est verum. — Si forte dicatur, quod est verum rei et est verum signi, et dictum Philosophi intelligitur de vero signi et non de vero rei: Contra: In Praedicamentis[6] dicitur: ‚In eo, quod res est vel non est, oratio vera vel falsa est': ergo verum signi non est absolutum a vero rei. Idem accipitur per illam diffinitionem, quam quidam[7] ponunt, quod ‚veritas est adaequatio intellectus cum re'.

B. Contra secundam obicitur sic: Nihil enim est declarativum esse nisi signum: ergo illa diffinitio datur de vero, quod est in signo. Sed illud verum non magis declarat esse quam non esse. Si enim affirmativa

---

1 manifestissimum *A* 2 percepta *Bp* 3 dicimus *BVM* 4 sicut *BVM* 5 esse] est *A* 6 a mathematica *Ab* a mathematice *Ao* a mathematicis *BM* inuenimus *Bp* 8 et verum ... enti *om. V*, ergo v. est *om. Ab* 10 singulum] singulorum uel singulum *Ab* 13 iam est] est *om. BVM* 13—14 intell. est *BVM* 14 autem *om. BVM* 16 diceretur *BVM* et est] et *BbM* uel *BpV* dictum] auctoritas *V* 19 falsa dicitur *V* 20 Idem] item *AM* 22 secundam] *add.* etiam *BVM* sic *om. BVM* 23 datur] est *BV* 24 declarat] determinatur *V*

---

[1] Cf. De trinit. lib. 5 cap. 3. PL 10, 131. Cf. Alex. Hal. Sum. theol. I [Ad Claras Aquas 1924] p. 141 a not. 3, ubi invenies ex Phil. Grev. Sum. de bono: ‚Verum est declarativum aut manifestativum esse.'

[2] De verit. cap. 11. PL 158, 480.

[3] Cf. Avicenna, Metaph. tr. 8 cap. 6 fol. 32Ra: ‚Veritas uniuscuiusque rei est proprietas sui esse quod stabilitum est ei'; cf. Phil. Grev. in Summa de bono dicentem: ‚Definitur etiam ita a metaphysicis: Veritas ...', vide Alex. Hal. Sum. theol. l. c. n. 89, V et not. 3, p. 142 a.

[4] Categ. cap. 4. 2 a 8; transl. ant. [Venetiis 1483 fol. 9Rb]. PL 64, 180 B.

[5] De anima lib. 3 cap. 6. 430 a 26; Comm. S. Thom. Aqu. [Venetiis 1594] in lib. 3 lect. 11.

[6] Categ. cap. 5. 4 b 8; transl. ant. [Venetiis 1483 fol. 10Rb], pars secunda divis. primae: Sermo in substantia. PL 64, 199 D.

[7] Cf. Averroës, Destructio destructionum disp. I dub. 22 [Lugdun. 1529 fol. 47V]; cf. loc. conscript. in: S. Bonav. opp. omn. I [Ad Claras Aquas 1882] p. 707 not. 5 et Alex. Hal. Sum. theol. p. 142 not. 2.

est falsa, negativa est vera, ut multis rationibus ostenditur in Metaphysicis[1]; in negativa autem verum declarat non esse: ergo non magis declarat esse quam non esse, et sic male diffinitur.

C. Contra tertiam sic obicitur: Rectitudo enim per se passio est f. 316Ra quanti[2]: ergo de veritate non dicitur nisi etiam metaphorice, et sic male diffinitur per ipsam.

Praeterea: Si rectitudo accipiatur metaphorice, multae erunt rectitudines sola mente perceptibiles, et sic diffinitio non convertitur cum diffinito.

Praeterea: Veritas non est perceptibilis sola mente, sed etiam sensu, sicut auditu percipitur veritas, quae est in voce, et alio sensu percipitur veritas rei, secundum quod veritas est rei entitas, ut dicit Augustinus[3].

Praeterea de diabolo dicit Dominus (Jo. 8, 44), quod ,in veritate non stetit', et secundum hoc veritas non potest esse id quod est, sicut supra diffinita est. Diabolus enim stetit in eo, quod est, quia remansit in esse.

Praeterea: Dominus in Evangelio videtur innuere veritatem actionis, cum dicit (Jo. 3, 20. 21): ,Qui male agit, odit lucem, qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo facta sunt.' Veritas autem in actione non est manifestativa esse rei vel actionis, sed potius declarat bonum esse circa actionem.

Praeterea: Idem videtur accipi a II° Ethicorum, ubi dicit Aristoteles[4], quod tres medietates sunt circa verborum vel operationum communionem. Differunt autem, quoniam haec quidem sunt circa verum, quod est in eis, ea autem circa delectabile, quod est in lusu et in vita, et circa verum in opere et verbo medietas est veritas. Fictio autem, quae est ad maius, superbia est, et quae est ad minus, ironia est vel iron[5]. Et ex hoc patet, quod quaedam veritas communis est ad opera et ad verba circa vitam et lusum, et illa non est manifestativa esse, sed vitae, quae est secundum veritatem.

1—2 Metaph.] mathematicis *M* 4 sic] similiter *BVM* 5 etiam *om. BVM* 7 accipitur *M* 8 mente *om. Bb, in marg. Bp* diff. non in ente non conv. *A* 19 dixit *BbM* 21 facta sunt] sunt f. *Bp*, sunt ista *Bb*, facta *om. MV* 22 bonum] bene *BV* 27 lusu] uisu *AB* usu *V* uel in uita *BVM* 28 Fictio] actio *V* 29 est om. *BVM* iron *Ao?* yron *M*] irracio *AbB* irrisio *V* 30 vitam *om. Bp*

---

[1] Cf. Aristot., Metaph. lib. 4 cap. 3—6. 1005 a—1012 b.

[2] Cf. Alex. Hal., Sum. theol. l. c. n. 89, 8 p. 142 a.

[3] Soliloqu. lib. 2 cap. 5 n. 8. PL 32, 889.

[4] Eth. Nic. lib. 2 cap. 7. 1108 a 9; Comm. S. Thom. Aqu. [Venetiis 1594] in libr. 2 lect. 9.

[5] Hunc locum invenies in translatione antiqua (in Comm. S. Thomae ante alluso vel in editione Venetiana anni 1483 pars III fol. 6Ra) sic: ,. . . Fictio autem que quidem ad maius iactantia et qui habet eam iactator. Quae autem ad minus yronia uel yron' (in ed. Venet.: ,eyronia et eyron)', id est verb. graec. εἴρων).

Praeterea: Innuit nobis Dominus veritatem signi, cum dicit (Jo. 17, 17): ‚Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est.'

Praeterea: Innuit nobis veritatem fidei, cum dicit (Jo. 8, 32): ‚Cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos.' Similiter innuit nobis veritatem increatam, cum dicit (Jo. 14, 6): ‚Ego sum via, veritas et vita', de qua etiam dicit Apostolus in II^{a} ad Cor. 1, (19. 20): ‚Dei filius Jesus Christus, qui in vobis per nos praedicatus est, per me et Silvanum et Timotheum, non fuit in illo EST et NON, sed EST in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei sunt, in illo EST.' Et de hoc etiam dicit Dionysius in XI epistola sua [1], quam scribit ad Apollifanium, sic: ‚Sic modo cognoscentia et provida corda gerens suspice, ne pro his, qui non sunt, ‚Est Verum' remittas, et pertinacior ad falsa temptantibus esto quam ad ‚Verum Est' suggerentibus nostris votis extiteras'. Et sensus est: ‚O Apollifani, cum modo conversus ad Christum ab idolis geras cognoscentia corda et provida, sic suspice fideli mente ad Deum, ne pro his, qui non sunt' — hoc est: pro idolis — ‚remittas a corde ‚Verum Est' — hoc est: divinitatem Christi, quae est ‚Verum Est' — ‚et esto pertinacior disputando temptantibus ad falsa' — hoc est:
316^{Rb} conan- / tibus pertrahere ad idola — ‚quam tu adhuc gentilis existens extiteras nostris votis' — hoc est: contra nostra vota suggerentibus, id est suggerentia ad ‚Verum Est', quod est vera Jesu divinitas. — Similiter veritas quaedam est in solutione promissorum, et veritas quaedam est species iustitiae, de qua dicit Salomon (Prov. 3, 3): ‚Misericordia et veritas non te deserant'. Et quaeritur differentia in his veritatibus.

Solutio: Dicendum, quod in veritate secundum Avicenam [2] distinguendum est eo quod quaedam refertur ad signum, et quaedam ad rem. Et quae refertur ad rem, secundum Anselmum [3] distinguenda est: quaedam enim respicit esse, quaedam pertinet ad opus voluntatis et quaedam pertinet ad opus naturae.

Illa vero, quae respicit esse, adhuc est duplex: quaedam enim est permixta potentiae, sicut est veritas possibilium ad esse, et quaedam est impermixta potentiae, sicut est veritas illius, quod semper est et semper fuit et semper erit et numquam fuit passibile, et hoc non est

3—5 cognoscetis . . . cum dicit *om. V* 9 permissiones *AoB* 12 est verum] et v. *A* 12—13 temptacionibus *A* 13 ad Verum Est] ad verum *A* 15 sic sic *BM* 16 qui] quae *BpM* 21 quod] que *A* 25 in omnibus hiis ueritat. *BVM* 29—30 quaedam vero pert. *B* quaed. enim p. *M* et quaed. p. *V* 34 passibile] possibile *BVM*

[1] Transl. Jo. Scoti in: Dionys. Carth. opp. omn. [Tornaci 1902] tom. 16 p. 593. — G. Théry, Hilduin et la 1re traduction des écrits du Pseudo-Denis, in: Revue d'histoire de l'Eglise de France 9 (1923) 34 sqq; P. Lehmann, Zur Kenntnis der Schriften des Ps. Dionys. Areop. im Mittelalter, in: Revue Bénéd. 35 (1923) 81 sqq. — Cf. Comm. Alberti in h. l., Ed. Jammy 13, p. 196^{b}.

[2] Vide h. q., p. 39 not. 1. [3] De verit. cap. 9. PL 158, 478.

nisi unum, ut probat A v i c e n n a[1]. Unde dicit H i l a r i u s[2], quod ‚esse non est accidens Deo, sed subsistens veritas', et P a u l u s ad Rom. (3, 4): ‚Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax'. Verum autem, quod est permixtum potentiae, adhuc duplex secundum duplicem statum potentiae, scilicet quod est per se potentia tantum secundum sui substantiam, vel coniuncta contrario. Prima harum secundum A v i c e n n a m[3] adhuc est duplex: quiddam enim est in potentia ad unam causarum tantum et quiddam est in potentia ad plures. Intelligentiae enim, quas nos spirituales substantias consuevimus appellare, non sunt in potentia nisi ad causam primam et secundum hoc, quod sunt in potentia, inclinantur ad falsum, propter quod in ipsis non est veritas pura sicut in primo. Id enim quod est in potentia, secundum quod est in potentia, aequaliter se habet ad esse et non esse, et cum veritas sit penes esse et falsitas penes non esse, patet, quod omne hoc, quod ex aliquo modo est in potentia, inclinatum est ad falsitatem, quae falsitas a S a n c t i s consuevit appellari ‚vanitas' et ‚mendacium'. ‚Vanitas' in Eccle. (1, 2): ‚Vanitas vanitatum etc.'[4], ad Rom. *8* (20): ‚Vanitati subest creatura non volens'; ‚mendacium' autem in Ps. (4, 3): ‚Ut quid diligitis vanitatem etc.'[5]. Veritas, quae permixta est potentiae respectu plurium causarum, iterum est duobus modis, scilicet penes esse in alio, quod est ei occasio existendi, et haec est debilissima veritatum, quam habet accidens, et penes esse per se, quae est veritas substantiae. Et haec duplex est: permixta potentiae, scilicet ad ubi tantum, sicut in caelo, et haec est veritas, quae causatur ab esse corporum incorruptibilium; est etiam permixta potentiae ad ubi et formam, et haec veritas est generabilium et corruptibilium, causata ab esse eorum. Et omnibus his modis dicta veritas respicit esse. Cum autem potentia secundum quod potentia non sit coniuncta esse, sed habet se ad esse ut subiectum eius, patet, quod potentia secundum quod huiusmodi non habet veritatem nisi secundum quid. Cum autem / esse semper sit esse actu, et hoc non causetur nisi ex coniunctione actus cum eo, cuius est actus, patet, quod omne verum causatur a compositione praeter verum primum, quod est impermixtum potentiae, ut dictum f. 316 Va

3 est autem] est etiam *A* 7—8 quiddam enim] quedam e. *AoMV* 8 quiddam] quedam *MV* 11 quod sunt] que sunt *A* 15 ex *om. BVM* 18 ad Rom. *8*] ad ro. VII *omn. codd.* 20 etc.] et quaer. mendac. *MV* veritas autem *BVM* 24 permixta substancie siue potencie *A* 27 causata] creata *AoM* 33 creatur *AoM*

[1] Cf. Metaph. tr. 1 lib 2 cap. 3. Fol. 5 V.
[2] De trinit. lib. 7 n. 11. PL 10, 208.
[3] Cf. Metaph. tr. 8 cap. 6. Fol. 32Ra.
[4] Eccle. 1, 2: ‚Vanitas vanitatum, et omnia vanitas.'
[5] Ps. 4, 3: ‚Ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium?'

est. Cum vero dicit indivisionem actus a potentia [1], non ponit compositionem aliquam, et divisio sola causat falsum: patet, quod falsum nihil est.

Verum autem, quod est in actione voluntaria, accipitur secundum esse illius. Esse autem illius est a circumstantiis et gratia, et hoc in genere vel in specie, et secundum hoc est duplex veritas. Et de ea, quae est esse in genere, intelligitur hoc dictum (Jo. 3, 21): ‚Qui facit veritatem, venit ad lumen‘. De ea vero, quae est in specie, quae etiam species est iustitiae, est illa auctoritas Aristotelis in II° Ethicorum, quae supra [2] scripta est. Et ista veritas etiam respicit esse formae, et malum opponitur ei, quod causatur a corruptione unius vel plurium circumstantiarum. Potentia autem secundum quod permixta etiam est contrario, magis inclinatur ad falsum vel vanum, sicut dicimus de auro, quod permixtum est cupro, quod non est verum aurum. Est autem verum in actione naturali, sicut quando res facit hoc, ad quod naturaliter est, et hoc causatur ab esse naturali. Et in omnibus his patet veritas huius propositionis, quod ‚unumquodque sicut se habet ad esse sic ad verum‘ [3].

Veritas ergo signi secundum Anselmum [4] duplex est. Est enim quaedam secundum esse signi, quae inseparabilis est a signo: esse enim signi significare est. ‚Te autem sedere‘ idem significat, cum sedes et stas. Alia causatur ab esse rei, et haec variabilis est secundum variationem rei, ut dicitur in Praedicamentis [5]. Haec autem veritas etiam alio modo dividitur, secundum quod est veritas signi causata ab esse rei de futuris in promissione, et haec secundum rem non verificatur nisi in solutione. Est etiam veritas in signo secundum pietatem, sicut est veritas sacrae scripturae, de qua dicit Apostolus (Tit. 1, 9) de episcopo amplectente ‚eum, qui secundum pietatem est fidelem — idest: veracem — sermonem‘, et in Evangelio (Jo. 17, 17): ‚Sermo tuus veritas est‘.

Similiter prima veritas consideratur in se et ut obiectum cogni-

---

1 dicit] dicitur *AbV* dico *M* falsum *super ras. Bp* indivisionem *praeb. solum text. Colon.* ponat *BVM* 2 causat falsum] causet f. *BM* causat falsam *V* causans rem *A* quod falsum] quod factum *A* 4—5 sec. esse illius actionis *BVM* 8 lucem *BVM* etiam] causa *del. M in textu,* una *in marg.* 12 circumstancium *BM* 15—16 sicut quando . . . ab esse naturali *om. BV* 21 significat] significo *BV* 26 rem] racionem *Ao* 28 Apost.] philosophus *A* apostolus philosophus *B* 29—30 in Ev.] in angelo *A*

---

[1] Cf. q. 1 p. 10, not. 2; vel h. q., p. 40 not. 3.

[2] Cf. h. q. p. 41 not. 4.

[3] Cf. Aristot., Metaph. lib. 2 (α) cap. 1. 993 b 30; Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 2 lect. 2; cf. Anal. Pr. lib. 1 cap. 36. 48 b 2; cf. Alex. Hal., Sum. theol. l. c. n. 87, p. 138 b.

[4] De verit. cap. 2. PL 158, 470.

[5] Cf. Aristot., Categ. cap. 5. 4 a 37.

tionis, et hoc secundo modo consideratur adhuc duobus modis, scilicet sine medio, secundum quod dicitur (Jo. 14, 6): ‚Ego sum via, vita et veritas'. Dicit enim ibi Glossa[1], quod ‚Ipse est veritas', ad quam pervenitur. Si vero consideratur cum medio, quod est speculum et aenigma[2], tunc est obiectum fidei. Et omnibus his modis dicta veritas causatur ab esse.

1. Unde dicendum, quod prima diffinitio, quae est Augustini in libro Soliloquiorum[3], est de vero, quod convertitur cum ente secundum supposita, et vis est in hoc, quod dicit ‚id quod est'. Per naturam enim pronominis significatur circa substantiam, quae non est nisi in supposito entis secundum quod est suppositum. Esse autem, quod importatur per hoc verbum ‚est', non est esse simplex; ly ‚est' enim significat esse ut actum propter naturam verbi. Esse autem ut actus non est nisi in / supposito, cuius est esse, f. 316vb et non in simplici intentione entis. Unde sicut diximus de bono, quod non convertitur cum ente secundum intentionem entis, sed secundum supposita et addit supra ens relationem[4]: ita verum convertitur cum ente secundum supposita et addit supra intentionem entis relationem ad actum, qui est forma, si forma ampliato nomine accipiatur ad omne id, quod quamcumque potentiam facit esse actu et est indivisum ab illa. Dico autem omnem potentiam secundum omnem modum potentiae supra[5] determinatum. Et dico, quod est indivisum ab illa propter causam efficientem, quae, licet potentiam perducat ad actum, tamen divisa est semper a potentia. Similiter suppositum entis voco quodcumque ens, quod est hoc ens positum in numerum determinatum. Et per hoc patet solutio ad primum obiectum.

a. Ad aliud dicendum, quod Aristoteles[6] intelligit de veritate signi, quae causatur ab esse rei, quod esse dicit esse compositionis. In subiecto autem non est esse, sed ens suppositum. Similiter in praedicamento dicitur ens in alio, scilicet quod est in subiecto, sed in compositione non ponitur ens, sed esse. Sicut enim in naturis potentia non habet esse per se nec forma, sed secundum ipsam est esse in

3 veritas et vita *BVM* 13 ut actum] ut esse *Bb* 15 dicimus *Bp* 17 relationem ad finem *BpV* 17—19 ita verum ... entis relationem *om. M* 19 qui] quo *M* 20 ad omne] ad esse *BM* 22 determinatam *A* 26 primum *om. V* 27 obiectum *om. M* 29 signi *om. M* 31 praedicamento] predicato *BV*, predicam. *corr. M* predicato 32 ponitur] ponit *M* predicat B per *V* 33 est esse] esse *om. M*

[1] Glossa ordin. In Ioan. 14, 5. PL 114, 407.
[2] I Cor. 13, 12.
[3] Vide h. q. p. 39 not. 4.
[4] Vide q. 6 solut., p. 31.
[5] Vide h. q. solut., p. 42.
[6] Vide h. q., p. 40 not. 4 et 5.

potentia — haec etiam est in subiecto, quod est materia, sed in compositione formae est esse rei — ita est etiam in enuntiatione. Et propter hoc singulum incomplexorum, cum non significet esse, sed ens, non significat verum vel falsum. Et de hoc esse intelligitur dictum Aristotelis in Praedicamentis[1], cum dicit: „In eo quod res est vel non est, vera vel falsa est oratio'. Diximus enim, quod ly ‚est' significat esse ut actum, et hoc est esse compositionis.

b. Ad id quod obicitur contra secundam, dicendum, quod unumquodque declarativum est sui esse per suam formam sive per id, quod est esse naturaliter, et ideo patet, quod illa diffinitio non est de veritate signi.

c. Ad id quod obicitur contra tertiam, dicendum, quod rectitudo ab Anselmo[2] vocatur adaequatio rei ad id, quod est in prima veritate, in qua omnis rei est exemplar et idea. Unde sumitur ut genus ad rectitudinem sensibilem et intelligibilem. Quia autem omnis res secundum sui substantiam et actum et non tantum percipitur mente, sed ortum habet quodammodo a sensibilibus, ideo additur ‚sola mente', quia haec rectitudo sola mente percipitur. Quia vero idea respicit, quo est res formaliter, ideo patet, quod haec diffinitio formale esse rei respicit.

Ad id quod obicitur de multitudine veritatis, patet solutio per distinctionem prius[3] habitam.

Quaestio 9

Utrum veritas sit aeterna

I. Secundo quaeritur, utrum veritas sit aeterna, et videtur, quod sic per Augustinum in libro Soliloquiorum[4] et per Anselmum in libro De veritate[5]. Aut enim veritas est aeterna aut non. Si est aeterna, habetur propositum. Si vero non
f. 317^Ra est aeterna, ergo verum est veritatem / non esse aeternam. Et si hoc est verum, aliquid est verum: ergo veritas est, si non est veri-

1 hoc *BbVM* 3 incomplexum *M* significat *Ab* 7 significet *BV* 10 esse nat.] essencialiter *BVM* 14 et ad ydea *A* 16 et non] et *om. BM* et non *om. V* 17 ex sensibilibus *BV* ex sensibus *M* 21 multiplicitate *BVM* 22 habitam *add. A* etc. 24 *om. AB* 28—29 aut non . . . est aeterna *om. Ao* 28 si vero non] non *om. AbV*, *add. Bb int. lin.*, si non *M*

[1] Vide h. q. p. 40 not. 6. [2] Cf. De verit. cap. 13. PL 158, 484.
[3] Vide supra p. 42 sqq.
[4] Soliloqu. lib. 2 cap. 2 n. 2. PL 32, 886; cf. De div. quaest. 83 q. 1. PL 40, 11; Alex. Hal. Sum. theol. I [Ad Claras Aquas 1924] n. 93, 2, p. 149 b et ibidem not. 3 Guil. Altissiod. et Phil. Grev.
[5] De verit. cap. 13. PL 158, 486.

tas. Propter istam ergo rationem, scilicet quia construitur veritas propter sui destructionem, dicunt Augustinus[1] et Anselmus[2] veritatem esse ab aeterno, et fundatur super duo, scilicet quod de quolibet contingit affirmare vel negare, et quod semper contingit alteram contradictoriarum esse veram. Et quia de hoc plura, maxime De materia dicta sunt[3], ista sufficiant.

II. Quaeritur autem iuxta hoc, utrum veritas signi separabilis sit a signo, et videtur, quod non. Quidquid enim uno modo se habet in rectitudine sola mente perceptibili[4] re existente et non existente, hoc uno modo se habet in veritate. Signum quodlibet sic se habet: ergo signum quodlibet uno modo se habet in veritate. Prima probatur ex diffinitione veritatis, quae est ‚rectitudo sola mente perceptibilis‘[5], secunda probatur per hoc, quod rectitudo huius orationis ‚dies est‘[6] est in significando diem. Hoc significat, sive dies sit sive non sit: ergo unam habet rectitudinem re existente et non existente et sic probata est.

Item hoc expresse dictum est Anselmi in libro De veritate[7], ubi sic dicit: ‚Non ideo rectitudo est in significatione, quia tunc incipit esse, quia significatur esse quod est vel non esse quod non est, sed quia tunc significatio fit secundum rectitudinem, quae semper est‘. Et intendit dicere, quod significatio affirmative significat rem esse, et negative non esse. Hanc autem rectitudinem significationis non accipit re existente et non existente, sed potius rectitudo, quae semper infuit signo, tunc incipit rei commensurari.

A. Sed contra Philosophus[8] dicit: ‚In eo, quod res est vel non est etc.‘. Et dicit hoc probando, quod non secundum sui mutationem oratio est susceptibilis contrariorum, sed potius secundum mutationem rei.

Praeterea dicit Augustinus[9], quod signum est, quod praeter speciem, quam ingerit sensibus, aliud facit in notitiam venire.

---

1 ergo] enim *BVM om. AoBp* 2 propter] per *BVM* 3—4 scilicet quod] quod *om. A* 7—8 Utrum veritas signi separabilis sit a signo *M in marg.* 10 Sign. quodl. . . . ergo] signum est huiusmodi ergo *M* 14 diem esse *BVM* 15 et non exist.] uel non *M in marg. om. Ao* 17 ab Anselmo *M* 19—20 quod non est] non *om. B* 22 aut *AB* 23 et non exist.], *om. V* uel non exist. *M* 30 sensibilibus *Bp*

---

[1] Vide h. q. p. 46 not. 4.

[2] Vide h. q. p. 46 not. 2.

[3] De quattuor coaequ. (Summa de creaturis I) q. 2 a. 3. J. 19, p. 11; cf. In I Sent. dist. 38 a. 2. J. 14, p. 568 b; ibidem dist. 46 a. 13. J. 14, p. 667 b.

[4] Anselm., De verit. cap. 11. PL 158, 480.

[5] Vide supra not. 4.

[6] Cf. Anselm., De verit. cap. 2. PL. 158, 470. 473.

[7] De verit. cap. 13. PL 158, 485.

[8] Vide q. 8, p. 40 not. 6.

[9] Cf. De doctr. christ. lib. 2 cap. 1 n. 1. PL 34, 35.

Sed oratio falsa, quae significat non esse quod est, vel esse quod non est, non facit in notitiam venire quod debet: ergo non habet rectitudinem, et sic potest esse falsa.

III. Iuxta hoc iterum quaeritur de quodam, quod dicit Anselmus[1], scilicet utrum omnia sint vera prima et una veritate, et videtur quod sic. Quidquid enim mutiplicatur secundum res, in quibus est, hoc etiam variatur secundum ipsas. Rectitudo sola mente perceptibilis non variatur secundum res in quibus est, ut prius[2] probatum est: ergo rectitudo non multiplicatur secundum res, in quibus est, et ita una omnium erit veritas.

Praeterea expresse dicit Anselmus in fine libri De veritate[3] sic: ‚Improprie huius vel illius rei esse dicitur veritas, quoni-
317Rb am ipsa non in ipsis rebus aut / ex ipsis aut per ipsas, in quibus esse dicitur, habet esse suum, sed cum res secundum illam sunt, quae semper praesto est his, quae sunt sicut debent, tunc dicitur huius vel illius rei veritas.‘ Item ibidem[4]: ‚Sicut tempus per se consideratum non dicitur tempus alicuius, sed cum res, quae in illo sunt, consideramus, dicimus tempus huius vel illius rei, ita summa veritas per se subsistens nullius rei est, sed cum aliquid secundum ipsam est, tunc eius dicitur veritas vel rectitudo.‘

Solutio: 1. Dicendum, quod nullius creati veritas est ab aeterno. Quod autem dicendum sit de veritate negationum, sicut si simus in primo instanti mundi, in quo haec est falsa ‚mundus fuit‘ et haec est vera ‚mundus non fuit‘, et sic aliquid fuit verum ante mundum ab aeterno: et sic secundum nostram possibilitatem invenitur in quaestione De materia in illo articulo, ubi quaeritur, utrum materia creata sit vel aeterna[5], et ibidem invenitur, qualiter veritas negativarum reducatur ad ens per affirmativas.

2. Ad id quod ulterius quaeritur, utrum veritas sit separabilis a signo, dicendum, quod Anselmus[6] multo simplicius accepit veritatem, quam communis usus accipiat. Ipse enim accipit eam secundum communem rationem complexi et incomplexi et rei et signi, et di-

1—2 Sed oratio . . . in not. venire *om. V* 4 quaeritur] arguitur *Bp* 5—6 et videtur *om. V* 8—10 ut prius . . . in quib. est *om. V* 10 una *om. Bp* 13—14 esse dicitur] esse *om. A* 14 sed cum res] sicut c. r. *A* secund. tres *M* 16 tempus *om. V* 17 quae *om. A* 18 ita] item *A* 22 Quod autem] quid autem *BVM* negativarum *M* 23 pr. inst. mundi] primo timendi *Bp ? Bb* timidi *V* 24 est vera] est *om. BV* 28 reducitur *M* 30 accipit *BVM* 31 communis] omnis *M*

[1] Cf. De verit. cap. 13. PL 158, 484 sq.
[2] Vide q. 8 lit. a, p. 45.
[3] De verit. cap. 13. PL 158, 486.
[4] Ibidem.
[5] De quattuor coaequ. (Summa de creaturis I) q. 2 a. 3. J. 19, p. 11.
[6] Cf. De verit. cap. 2. PL 158, 470.

cit[1], unumquodque esse verum, cum facit, quod debet. Hoc autem debet, quod debet in prima veritate, et hoc debet in prima veritate, ad quod est secundum naturam sui esse in prima veritate. Unde cum signum secundum sui naturam esse non debeat nisi significare res, dicit ipse[2] manere rectitudinem illam sive re significata existente sive non existente. Et verum est, quod dicit, quod manet illa rectitudo manente re; destructa autem non manet. Rectitudo enim non esse habet extra rectum nisi secundum intellectum tantum, et ideo nullo existente recto nulla erit rectitudo secundum esse: ergo signo destructo non manet rectitudo signi secundum esse.

3. Ad id quod ultimo quaeritur, utrum omnia sint vera simplici et una veritate, dicendum, quod si veritas accipiatur secundum Anselmum[3] pro rectitudine simplici, quae est in omnibus, cum faciunt, quod debent secundum naturam sui esse, tunc potest attendi illa rectitudo duobus modis, scilicet ut forma recti vel ut mensura eius, quae mensuratur secundum rationem debiti. Si primo modo, tunc plane falsum est, quod dicit Anselmus; rectitudo enim formale esse non habet extra rem et multiplex secundum recta. Si vero sumatur ut mensura, adhuc potest attendi duobus modis, scilicet ut mensura exemplaris extra vel ut mensura coaequata et adiacens rebus rectis. Et si primo modo sumatur, tunc veritatem habet dictum Anselmi; si secundo modo, tunc habet falsitatem, et per hoc patet solutio ad totum obiectum.

Quaestio 10

Qualiter se habeat verum ad bonum et ad ens

I. Tertio quaeritur, qualiter se habeat verum ad bonum et ad ens, et dicitur / communiter[4], quod ens et bonum et verum secundum f. 317
supposita convertuntur. Videtur autem quod verum non convertatur cum ente. ‚Verum enim', ut dicit Philosophus in II° Meta-

1—2 autem debet] autem verum debet *Ab* debet *om. V* 2 in pr. verit. *om. V* 2—3 et hoc deb. in pr. verit. *om. B* 5 res *om. BVM* 7 manente re] *add.* uel signo *in marg. M* 9 ergo] unde *BVM* 12 accipitur *BVM* 13 faciant *M* 18 multiplicatur *BVM* 23 obiectum] etc. *M, om. BV* 25 *om. omn. codd.* 26 Tertio . . . ad ens *sublin. M* 28 supposita] opposita *B*

[1] Cf. De verit. cap. 7. PL 158, 475.
[2] Cf. ibidem cap. 13. PL 158, 485.
[3] Cf. ibidem. PL 158, 484 sq.
[4] Cf. Alex. Hal. Sum. theol. I [Ad Claras Aquas 1924] n. 88, p. 139; J. Fuchs, Die Proprietäten des Seins bei Alexander von Hales, I. D. München 1930.

physicae[1] in principio, ‚est finis intelligentiae speculativae'. Et ex hoc accipitur, quod verum est in relatione ad cognitionem. Non omnia autem supposita entis referuntur ad cognitionem: ergo verum et ens non convertuntur secundum supposita.

II. Praeterea: Verum invenitur in negationibus, et tamen non supponunt aliquod ens, sicut cum dicitur ‚homo non est asinus'[2].

A. Si forte dicatur, sicut in quaestione De materia[3] determinatum est, quod affirmatio est ante negationem, et necesse est negationem reduci ad affirmationem tamquam ad illud, per quod intelligitur, et sic per affirmationem reducitur ad ens suppositum in affirmativis: Contra: Cum dico: ‚Chimaera[4] non est tragelaphus'[5], haec est quaedam negativa vera, quae si deberet reduci ad ens suppositum in affirmativa, reducitur ad istam: ‚chimaera est chimaera et tragelaphus est tragelaphus'. In neutra autem harum supponitur aliquod ens et ita videtur id verum non reduci ad ens. Rationes autem illae, quae superius[6] habitae sunt, quod bonum non convertitur cum ente, tenent etiam de vero.

III. Eodem modo quaeritur etiam de convertibilitate eius cum bono. Videtur enim non converti. Verum enim est aliquem fornicari, et tamen non est bonum, sed malum. Similiter malum esse est verum, et tamen malum esse non est bonum.

B. Si forte dicatur, quod malum non est et nihil supponitur per hoc, quod dico ‚malum', contra: Verum fundatur semper super ens, sicut iam habitum est[7], et ita non tenet illa solutio.

C. Sed contra hoc in III° De anima[8] dicit Aristoteles: ‚Omnino sine actione et in actione autem verum et falsum in eodem genere est bono et malo, sed in eo, quod simpliciter est, differt'. Ergo videtur, quod verum et bonum sunt in eodem genere et convertibilia.

Praeterea supra[9] habitum est per plures rationes, quod omne ens, inquantum est, bonum est. Similiter habitum est, quod ‚verum est id, quod est'[10]: ergo verum et bonum convertuntur cum

3 omnia *om. M* 7 terminatum *Bp* 8 et nec. est negat. *om. Ao* 9 illud] id *BVM* 12 si deberet *om. Ao* si debeat *BV* 11—14 haec est ... est tragelaphus *om. M* 13 reducetur *BV* istum *A* 18 convertibilitate] communitate *A, sed corr. Ao* 20 simil. malum *om. Ao* 22—23 per hoc *om. B* 28 sint *BVM*

[1] Aristot., Metaph. lib. 2 (α) cap. 1. 993 b 20; cf. Comm. S. Thom. Aqu. [Venetiis 1594] in libr. 2 lect. 2.
[2] Cf. Alex. Hal. l. c. n. 89. 5, p. 142.
[3] Vide q. 9, p. 48 not. 5.
[4] Lev. 4, 28.
[5] Deut. 14, 5.
[6] Vide q. 6 sub n. I, p. 29 sq.
[7] Vide q. 8 solut., p. 42 sq.
[8] De anima lib. 3 cap. 7. 431 b 10; cf. Comm. S. Thom. Aqu. in libr. 3 lect. 12.
[9] Vide q. 7, p. 33 sqq.
[10] Vide q. 8, p. 39 not. 4.

ente. Sed quaecumque uni et eidem sunt paria, ipsa inter se sunt paria: ergo bonum et verum paria sunt secundum supposita et sic convertuntur.

Solutio: Dicendum, quod verum, secundum quod est declarativum esse[1] vel id, quod est[2], sicut supra[3] est explanatum, cum ente convertitur secundum supposita, secundum autem intentiones nominum ens est prius ad verum. Verum enim semper addit supra ens relationem ad formam sive ad id, quo est res formaliter, sic et bonum super ens addit relationem ad finem.

1. Ad primum ergo dicendum, quod verum pro tanto dicitur esse finis intelligentiae speculativae, quia unumquodque cognoscibile est per suam formam, etiam si non cognoscatur, et etiam privationes et potentia materiae per formam intelliguntur, quia sicut forma secundum Philosophum[4] absentia sui et praesentia sui sufficit facere motum, / f. 317^{Vb} ita absentia et praesentia sui facit cognitionem privationis et habitus, et per relationem ad ipsam cognoscitur subiectum eius, quod est materia. Et per hoc patet etiam, quod sicut diximus[5], quod materia non est simpliciter bona, sed secundum quid, ita etiam se habet ad verum. Supra[6] enim habitum est, quod, sicut unumquodque se habet ad esse, ita se habet ad verum. Diversimode autem se habent ad esse materia et accidens et forma substantialis et compositum et habitus et privatio et successiva et permanentia, et secundum hoc diversimode se habent ad verum. Supra[7] etiam ostendimus, quod creatum et increatum in esse differunt eo, quod creati esse concretum est habitudinibus et permixtum potentiae, et per hoc inclinatum ad mutationem et potentiam. Increati vero esse est entitas pura et subsistens veritas, ut dicit Hilarius[8], et secundum hoc diversimode se habent ad verum, ita tamen, quod esse accipiatur, ut supra[9] determinatum est, scilicet pro actu formae in formato. Esse enim est id, quod facit formam sive quo est in eo, quod est. Etsi quaedam sint simplicia, tamen componibilia sunt, et per hoc respiciunt esse.

1 ipsa *om. M* 2 suppos.] opposita *BM* 7 semper *om. BVM* 7—8 super ens addit *BVM* 8 quod est res *A* 8—9 sive ... rel. ad *om. Bp* 11 speculat.] specificative *A* 13 pot.] proprietates *Bp* 14 praes. sui] sui *om. BVM* 22 et successiva *om. M* 26 inclinatur *BVM* mutat.] mutabilitatem *BVM* 31 compossibilia *A*

[1] Vide q. 8, p. 40 not. 1. [2] Vide q. 8, p. 39 not. 4.
[3] Vide q. 8 solut., p. 42; cf. ibid. lit. c, p. 46.
[4] Cf. Phys. lib. 2 cap. 3. 195 a 11 sqq.
[5] Cf. q. 1 lit. b, p. 17; cf. De quattuor coaequ. (Summa de creaturis I) q. 2 a. 1 solut. J. 19, p. 8 a; ibidem a. 4 solut. p. 13 a.
[6] Cf. q. 8, p. 44 not. 3.
[7] Vide supra q. 2, q. 4.
[8] Vide q. 8, p. 43 not. 2.
[9] Vide q. 6 solut., p. 31.

2. Ad aliud dicendum, quod veritas in negativis reducitur ad ens, sicut alibi[1] determinatum est. Quod vero dicitur de ista: ‚chimaera sive phligax[2] non est tragelaphus' dicendum, quod ista supponet ens in extremis. Et hoc est ens oppositionis, a quo verificatur ista: ‚tragelaphus est tragelaphus et phligax est phligax.' Et si quaeritur, si isti enti aliquid respondet ex parte naturae, dicendum, quod sic, non secundum formam totius, sed secundum formam partium[3]. Nec hoc semper sequitur, quod, si est ens in anima, quod non sit simpliciter ens, sed secundum quid. Scientia enim secundum quod scientia et virtus secundum quod virtus esse suum non habent nisi in anima, et tamen simpliciter sunt, sicut determinatur in Prima philosophia[4]. Sed hoc sequitur de illis, quae nominibus suis dicunt formam naturae, quae tamen forma secundum totum non nisi in anima invenitur et secundum partes in natura, sicut est forma chimaerae et tragelaphi, quae nominibus suis determinant formam animalis, quae tamen in genere animalis non nisi secundum partes invenitur.

Ad id autem quod obicitur de habitudine veri ad bonum, dicendum, quod verum secundum intentionem prius est bono, sicut perfectio secundum esse prior est perfectione secundum finem; et hoc, si verum et bonum in suis universalissimis intentionibus accipiantur.

3. Ad id quod obicitur, quod aliquem fornicari est verum, non tamen videtur esse bonum, dicendum, quod ibi est sophisma ex aequivocatione boni et veri. Est enim haec vera ‚aliquem fornicari' veritate signi et non vera veritate actionis; et in conclusione bonum retorquetur ad actionem. Sed sic deberet argumentari: aliquem fornicari est verum et verum convertitur cum bono: ergo bonum est: ‚hoc dictum ‚aliquem fornicari' significare id, quod significat'. De actione autem si loquamur, non erit vera eo quod non habet rectitudinem, et propter hoc etiam non erit bona. Si forte / [f. 318Ra] quaeratur, utrum in illa actione sit aliquod ens, dicendum, quod sic. Et si inferatur, quod

1 in negat. *om. V* 3 supponit *BVM* 4 a quo oppositionis *A* 5 est tragelaphus *om. A* si quaeritur] si *om. A* 6—7 resp. et experiencie et posicionis in formam tocius *V* 10 sec. quod virtus *om. Ao* nisi *om. Ao* 12 sed hic loquitur *M* 15 determ.] habent *V* 16 animalis *om. M* 22 est *om. B* 24 non vera] non nisi *V* 27 significari *A* 28 non habet] non *om. A* 29 in] si *A*

[1] In I Sent. dist. 46 a. 13. J. 14, p. 667 b; cf. in I Sent. dist. 38 a. 2. J. 14, p. 586 b.

[2] De hoc nomine, quod in codd. mss. etiam scribitur ‚fligax' (figlax *V*), nihil invenimus.

[3] Cf. De quattuor coaequ. q. 21 a. 1. J. 19, p. 82 b; cf. A. Schneider, Die Psychologie Alberts d. Gr., Beitr. z. Gesch. d. Philos. d. M.A. IV, Heft 6 (Münster 1906) p. 393 not. 1; H. Kühle, Die Entfaltung des Gottesbegriffes zum Begriffe des höchsten Gutes nach Albert d. Gr., I. D. Münster 1931, p. 21.

[4] Cf. Metaph. 5 (Δ) cap. 16. 1021 b 22 sqq.; cf. ibidem lib. 7 (E) cap. 11. 1037 a 5 sq.

debeat converti cum vero et bono, dicendum, quod hoc non sequitur. Ens enim est ibi secundum quid, hoc est secundum potentiam tantum, et illud ens actualiter coniunctum est privationi ordinis ad verum et ad bonum, et propter hoc sequitur, quod simpliciter sit malum et non verum, et secundum quid verum et bonum, scilicet secundum hoc, quod est ens potentia et non actu separabile a tali privatione, et haec potentia est secundum intellectum tantum. Si vero quaeratur, quomodo potest esse rectitudo signi, cum non inveniatur in signato rectitudo, dicendum secundum supradicta[1], quod duplex est esse signi: unum est, inquantum signum est; et rectitudo, quam sic habet, non est separabilis a signo signo manente; aliud est in comparatione signi ad signatum. Et haec est duplex, scilicet ad signatum ut complexum est, in qua complexione praedicatum componitur cum subiecto anima ponente notam compositionis inter ea, et ab hac compositione causatur veritas enuntiationis, quae etiam convertitur cum bono. Tertia autem veritas, quae est in extremis, si consideretur ex parte praedicati, deficit, quia actus non habet rectitudinem, et propter hoc etiam deficit a bono. Aliae autem duae rectitudines, scilicet signi et enuntiationis, adiacent ei non secundum se, sed secundum quod componitur cum alio. Et propter hoc bonum, quod convertitur cum illis rectitudinibus, non potest retorqueri ad actionem.

11 a signo] a signato *M* 14—15 ab hac comp.] et hac comp. *Bp* ab ipsa comp. *Bb* ab compos. *A* 18 deficit] defecit *AbM*

[1] Vide q. 8 solut., p. 44.

Druck von H. Laupp jr in Tübingen